

V I T A
ILLUSTRISSIMI HEROIS
P O N T I
DE LA GARDIE,

Exercituum Sveciæ Supremi

Campi Ducis,

REGNANTE

JOHANNES III.

Svecorum Rege Gloriosissimo.

Cujus occasione totius fere

LIVONIÆ HISTORIA

exhibetur,

Ex incorruptæ veritatis monumentis Re-

giisque chartophylacii originariis documentis eruta

summaque fide concinnata.

Acc. 280/10.

CLAUDIO ARRHENIO

OERNHIELM.

S. R. M. S. Historiographo.

L I P S I Æ,

Apud Jo. FRIDER. GLEDITSCH,

ANNO M. DC. XC.

BIBLIOTH:
ACADEM:
DORPAT:



*Perillustris et Generosissimus Heros, Dominus
PONTUS de la GARDE L. B. in Eckholm,
Dynasta in Kolenka et Sundby. Eques Auratus Exer-
citus Suetici Capitaneus Generalis, et supremus Livo-
nia Gubernator.*

Illustrissimo Excellentissimoque Domino,


**DOMINO
MAGNO GABRIELI
DELAGARDIO,**

Comiti de Leckö & Arensburg, L. Baroni de Ekholmen, Dynastæ in Hapsal, Helmet, Magnusberg, Höjentorp, Mariendaahl, Käggleholm & Wænegarn,

Regiorum Senatorum Primo, Drotzeto ac Supremo per Sveciæ Regnum Justitiæ Præsidi, per Vestro-Gothiam & Daliam Nomarchæ, nec non Academiæ Upsaliensis Cancellario,

Domino ac Mæcenati Magno.

Illustrissime Excellentissimeque
DOMINE
COMES ET DROTZETE,
Mæcenæ ac Patrone Gratiſſime,

 Nter tot publici muneris labores ac curas, inter continuatam diu ex morbis invaliditudo- nem, tandem ad finem perduxì gratioſe injunctum mihi opus de vita & rebus *PONTI*, avi Tui longe glorioſiſſimi. Si optarem, confectum id eſſe ex voto Tuo, meritisque Viri tam incluti, jure temeritatis arguerer. Cujus enim, niſi dicendi facultate maximi, laudes tanti Viri æqvaverit

rit oratio? quæ in me ita est exilis ac tenuis, ut ad meritorum ejus magnitudinem adfurgere haud ullo modo potuerit. Si itaque ingenii paupertini culpa laudibus Ejus quid a me detractum potius quam adstructum est, æquo animo ignoscent, spero, boni, cum scierint, non fiduciam mei sumfisse, sed benignissimam voluntatem Tuam imposuisse hanc vires longe excedentem provinciam. Adpersi rerum Livonicarum haud pauca, ex ejus prisceque ævi Historia, tum quod *PONTI* palæstra virtutum aliquamdiu, tum quod ductu ejus ad reverentiam Imperii Sveo-Gothici, ex longissima temporis intercapedine, nobilis hæc provincia, velut postliminio, redierit. Attigi quoque jura vetusta Regni hujus in præcingens littora ejus mare, contra eos, qui, utcunque populorum in circuitu sunt novissimi, turpi tamen verborum fuce videri gestiunt & ætate & juris istius fruitione antecessisse semper Gothos ac Sveones. Sed dum horum næniis convellendis immoror,

ex-

excrevit opus præter spem, futurum tamen prudentibus, ut auguror, tanto gratius, quanto solidioribus rationibus firmantur, ea, quæ Summus Vir PONTUS, in Sui Regis Regniqve hujus rem, pro ipsorum juribus adserendis, in exterorum Principum aulis, facundissimo ore disseruerat. Quid de opere hoc porro fieri velis, Mæcenas Benignissime, jussa Tua, cum obsequendi summa promptitudine, arrectus exspecto, & spes fortunasqve meas omnes Illustrissimæ Gratiaæ Tuæ commendans, vivere moriqve cupio


*Illustrissimo Excellentissimoqve
Nomini Tuo*

Dab. Upsalæ d. 27. Febr.
Anno 1683.

*omni fide submissioneqve animi
deditus*

CLAUDIUS ARRHENIUS.

Typographus Lectori.



X epistola huic Historiæ loco dedicationis præfixa facile perspicis, annos jam aliquot præteriisse, ex quo Nobilissimus Auctor eam Illustrissimo atque Excellentissimo Comiti Drotzeto, MAGNO GABRIELI DE LA GARDIE, transmisit. Quoniam autem Celsissimum hunc Heroa fata postea rapuerant, inter posteros ejus præsertim unico, quem reliquit, Filio visum est incumbere, ut Magni Parentis institutum exsequeretur: quod cum aliud non fuerit, quam ut hic liber in lucem quam primum ederetur, nobis hanc spartam obtulit, quam etiam lubentes suscepimus. Cæterum cum Dn. Maimburgus ex Ordine, dum ista scriberet, Jesuitarum, in libro, quem de reformatione religionis a Luthero instituta scripsit, quædam inique admodum in PONTUM hunc nostrum dixerit; iis autem ut aliquid reponeretur, Viri magni & quorum in omni eruditionis genere summa est eritque semper autoritas, svaserint; placuit ex variis variorum doctrina clarorum & erga veritatem optime affectorum virorum literis, observationes quasdam excerpere, illasque ad marginem veluti laciniam quandam jungendam nobis tradere. Quod sicuti bona cum auctoris venia fieri posse confidit, ita & Tibi, Lector Benevole, idem non ingratum fore speramus; cum præsertim hac ratione non solum nobilissimi Arrhenii opus sis habiturus integrum, sed & annotationes quasdam, quæ non omnes ab illo ad marginem sunt adpositæ, quanquam potior earum pars illi debeatur. Hac de re te esse submonendum, Amice Lector, duximus. Vale.

ROBERTUS de la Gardie
ANNA de l' Estandart Anno 1387. Conjuges.

Stephanus de la Gardie Rufolii Dominus.
Johanna de Hautpoul facti Conjuges Anno 1428.

Gvilielmus I.
Montilienfis Abbas.

Gvilielmus II. de la Gardie
Jacoba & Bellegarde Anno 1469.

Jacobus I. de la Gardie,
Catharina de S.Columba
Anno 1511.

Jacobus II. de la Gardie
Monachus primùm, dein
Prior Cœnobii Montilienfis.

Johanna de la Gardie
Alexander du Puy Dominus
de Megrin & Dilagade.

Jacoba de la Gardie
innupta obiit.

Maria de la Gardie
Maritus è nobili Do-
mo de Bellifand.

Anna de la Gardie
Maritus è Generosa
firpe de Donadicec.

Angerius de la
Gardie. Bar-
bara de Bles
Anno 1552.

Stephanus de la Gardie.
Penthesilea de Ramejan
d. 5. Sept. Anno
1558.

Pontus de la Gardie, Eqves Auratus, Lib. Baro, Senator Regius, Gubernator Livonia, Supremusque Praefectus Militiæ Svedicæ Anno 1585. d. 5. Nov. in Narvenfi amne fatifcente vetusto, qvo vehebatur, navigio submersus periit. Sophia Gyldenbielmia, naturalis Filia Johannis III. Svecorum Gothorumque Regis, ducta d. 14. Jan. An. 1580.

Tres Filii juve-
nili atate
mortui.

Petrus de la Gardie, Dn.
de Poozols. Clara de
Bellifand Anno 1588.
Mater filiorum octo,
filiarumque totidem.

Johannes de la Gardie, L. Baro, Dn. de
Kiulcholm, Rafich & Karcholm, Se-
nator Regius. (1.) Catharina Oxen-
stierna, Christierni Gabrielidis L. Bar-
onis de Steninge & Regii Senatoris
Filia. (2.) Gerwâl Possê.

Brigitta de la Gardie, Conjunx (1.) Je-
sseri Matson Crufes, Regii Senatoris
& Magni Thesaurarii. (2.) Gabriëlis
Gustaffon Oxenstierni, Comitiss, L.
Baronis, Regii Senatoris & Drotzeti,
ex qvo nulla ei soboles.

Jacobus de la Gardie, Comes, L. Baro, Dn. de Ha-
psal, Dagdön, Koleka, Kida, Runfa & Arnö, Re-
gius Senator & Conestabilis Supremus, Col-
legii Militaris Præses & Legifer Uplandiæ. Eb-
ba Brabe, nata Comes, Dn. de Axholm, Lyckos,
Sundholm, Keggelholm & Tullegarn.

Filiorum primi 4. Pueri obiëre.
Johannes de la Gardie. Maria Filia Baronis de Talairan
Vitalis de la Gardie. Revalte in Livonia obiit.
Franciscus de la Gardie, Abbas Fuxens in Occitania.
Gabriel de la Gardie, cæsus in Alfatia.
Margareta de la Gardie.
Martha } Ingreffa Monasterium.
Hyacintha }
Francisca de la Gardie.
Catharina } Fædæ Monachæ.
Helena }
Gabriële de la Gardie.
Magdalena de la Gardie.

Beata de la Gardie, Uxor (1.) Leonardi Torfensohnii,
Comitiss L. Baronis, Dni de Fortena, Rellad, Rafick
& Ulwefund, Regii Senatoris, Militiæ Svedicæ in bel-
lo Germanico Supremi Ducis, prudentia, fortitudine,
felicitateque clari admodum & incluti. (2.) Perri Bra-
hes Comitiss, Regii Senatoris & Drotzeti.

Laurentius Crufe, Trib. Milit.
Edda de la Gardie Uxor Perri Sparrii Comitiss, Supremi Bel-
licarum Machinarum Ducis.

Johannes Crufe R. S.

Christina Catharina de la Gardie, Uxor (1.) Gustavi Adolphi
Leionhaupt Comitiss di Falckenheim, L. Baronis de
Reipolskirch, Regii Senioris & Campi Marechallic &c.
(2.) Gustavi Oronis Steenbock Comitiss, L. Baronis,
Regii Senatoris & Thakflarchæ.

Maria Sophia de la Gardie, Uxor Gustavi Gabriëlitiss
Oxenstierni Comitiss, Regii Senatoris.

Axelhus de la Gardie, Comes &c. & Regius Senator. Uxor
Sophia Forbus, Arvidi Forbus L. Baronis & Regii Se-
natoris Filia.

Pontus de la Gardie, Comes &c. Regius Senator. Uxor
Beata Königsmarchia, nata Comes Regii Senatoris,
Magnique bellici Ducis Johannis Christophori Königs-
marchii incluta Filia.

Jacobus Casimir de la Gardie, Comes &c. Regius Sena-
tor, natus Holmiæ d. 3. Febr. 1629. d. 7. Octobr. 1658.
cæsus in Dania. Uxor Edda Sparre, ducta 1652. cum
uno filio duabusque filiabus mortui.

Magnus Gabriel de la Gardie Comes, L. Baro, Dn. in Hap-
sal, Helmet, Mariendal, Magnus-Hoff, Keggelholm,
Carlberg, Hocjentorp & Wanegarn, Regiorum Sena-
torum Primus & Drotzetus &c. Coniux Sreniema-
Princeps Maria Euphrosine, Celsiss. Principis Joh. Ca-
simiri Palatini Comitiss ad Rhenum, Ducisque Bavariæ
Filia, Augustissimi Svecorum Gothorumque Regis Ca-
roli Gustavi Soror, & hodierni Potentissimi Svecorum,
Gothorumque Regis Caroli XI. Amica.

Gustavus Adolphus de la Gardie Comes, L. B. Regius Se-
nator & Summi Svecorum Tribunalis, qvod Holmiæ
est, Præses. Uxor Elisabetha Oxenstiernia, Erici Axe-
lidis Oxenstierni Comitiss, L. Baronis, Regii Senatoris
& Supremi Cancellarii Filia.
Christina Catharina de la Gardie n. 1648. d. 3. Decembris Li-
psicæ. 7. d. 5. Maji 1690. in Ducali Arce Schtrunden in Cur-
landia.

Jacobus Augustus }
Johannes Casimir } Omnes genera atate mortui.
Carolus Magnus }
Magnus Gabriel }
Charlotta de la Gardie, Uxor Oronis Wihelmi Königsmar-
chi Comitiss, Campi Marechallic & Romeraniæ Guberna-
toris incluti.

Hedwig Edda de la Gardie, Uxor Caroli Gustavi Oxen-
stiernii, Erici Filii, Comitiss, Tribuni Militaris & ad Casta-
rem Leopoldum Augustum à parte S. R. Majestatis
Sveciæ Plenipotentiarii.

Johannes Carolus } Pariter infantes vita functi.
Maria Sophia }
Laodivus Pontus }

Edda Maria de la Gardie.
Johanna Eleonora de la Gardie.

Carola de la Gardie.
Magnus de la Gardie.
Pontus de la Gardie.

Martha Elisabetha Oxenstierna, Uxor Gustavi Baner, Regii
Senatoris & Campi Marechallic.
Gustafhiana Oxenstierna, Uxor Comitiss Christophori Gyl-
tenstierna, Regii Senatoris & Gubernatoris Holmenfis.

Jacobus prematura morte extinctus.

Gustavus Mauritiuss Leionhaupt, Trib. Mil.

Christina Leionhaupt, Uxor Baronis Flemming.

Edda Charlotta Leionhaupt, Uxor Baronis Gustavi Baner
Svanonis Filii.

Brigitta Steenbock.

Ericus Steenbock.

Jacobus Steenbock.

Magnus Steenbock.

Beata Steenbock, Uxor Comitiss Duglas.

Eleonora Steenbock, Uxor Baronis Crusk.

Charlotta Uxor Comitiss Axelii Leionhaupt.

Edda Jacobiana Sparre, Uxor Baronis Falckenberg.
Magnus Sparre.
Eleonora Sparre.

Brigitta, Uxor Jacobi Lillhök L. B.

Anna Maria Uxor Caroli Comitiss Levenhaupt, R. Sena-
toris & Campi Marechallic.

Barbara, Uxor (1.) Caroli Sparre L. B. (2.) Gustavi Oxen-
stierna R. S.

Sophia, Uxor Gustavi Caroli Filii Baner, R. Senatoris.

Gustavus Crule, Trib. Milit.

Brigitta, Uxor Comitiss Wrede, R. Senat. & Cameræ Præsidis.

Anna, Uxor Claudii Fleming, R. S. & Cameræ Præsidis.

Comes Andreas Torfensson, R. Senator & Eltoniæ Guberna-
tor, cui Uxor Christina Steenbock.

Johannes Gabriel Steenbock, R. Senator & Marechallicus.

Maria Steenbock, Uxor Comitiss Axelii Lillie.


Catharina Kurk, Uxor Baronis Axel Poffe, Trib. Milit.

Martha Kurk, Uxor Baronis Arvidi Ivari Filii Nar och Dag.

Beata Kurk, Uxor Johannis Ribbing, Trib. Milit.

Margareta Hyacintha de la Gardie.

Maria Jacoba de la Gardie. } Amplexæ vitam monasticam.
Tertia Anonyma Filia. }



Unctis ferè gentibus populisque, ma-
ximè cultioribus, ab omni ævo usitatum,
solemneque fuit, virorum virtute gestarum-
que rerum magnitudine præstantium fa-
cta, aliquo monumentorum genere æter-
nitati consecrare. Majores nostri, ut de
cæteris nihil dicam, Heroum suorum res,
ne posterorum notitiæ subduceret oblivio,
erectis è saxo cippis montiumque cautibus
inscribebant. Carminibus etiam sui generis

quibusdam, neque omni destitutis artificio ac venustate, quod apud illos erat memoriæ & annalium genus, celebrabant, operâ & ministerio certorum hominum, qui ea componere, ac in conviviis potissimum canere solebant. Quæ carmina nos hodie inter præcipua & verissima antiquitatis monumenta numeramus. Procedente tempore, cum nec cippis & lapidibus, nec cantilenis omnia possent commodè comprehendi, stilo manum admoverunt, quos infula ornabat, & quantum in illis, Heroum Sveogothorum præclara facinora, literarum beneficio, ab oblivionis injuriâ vindicare connisi sunt. Et hanc viam olim institerunt, benè multi, quorum scripta longinquitate ævi & negligentia hominum intercidisse plurimum dolemus. Et sicut ex obsoletis ædificiorum ruderibus, de ipsorum magnitudine conjecturam haud incertam capimus: ita ex talium, quæ nonnuscquam adhuc reperiuntur, operum fragmentis, cernere licet, non contemnendam fuisse olim majorum nostrorum solertiam diligentiamque in conservandâ per literas rerum suarum memoriâ. Habuerunt autem illi scribendi causas varias, nec easdem omnes. Aliqui, quod viderent id ad gentis nostræ laudem gloriamque pertinere. Alii, quod censerent plurimum interesse Reip. ut cognitione boni instruerentur civium plurimi, atque pulcherrimis exemplis ad imitationis studium excitarentur. Quin & grati animi hoc poscere putabant officium

cium multi, ut digna præmia magnis virtutibus rependerentur. Inter quæ id numeratum semper, ut earum memoria ad posteros extendere-
 tur quam longissimè. Cum præsertim, quanto quisque major animo,
 tanto magis cogitet æternitatem, cumque aliter non possit, saltem in
 existimatione hominum, in literis fama que publica quam diutissimè ve-
 lit superesse. Quæ re, si post fata carituros se illustres viri existimâs-
 sent, haud multi ipsorum se tot fregissent laboribus, nec toties pro vitâ,
 pro libertate ac gloriâ tam gnaviter dimicâssent. Quo nomine exse-
 crari convenit pravitatem quorundam, qui, quum suis ipsi factis famam
 non satis secundam meruerant, cum quibus vivis apertas occultasve
 habuerant inimicitias, horum defunctorum insectantur etiam Manes.
 Aut, si hoc ipsis videtur nimis crudum, à laudato in laudantem transfe-
 rentes odium, exsculpunt ex scriptore aliquid, quo ei fiat invidia, re-
 portetque mercedem conatui celebrandæ virtutis incongruam. Quæ
 res omni tempore, non paucos his oris viros doctos à scribendi pro-
 posito deterruit. Atque hinc nata exteris multis occasio existimandi,
 non pollere Septentrionem hunc nostrum ingeniis, quæ instructa sint
 dotibus, quibus agendo scribendove mereri jure possint æternitatem
 nominis. Quorum tamen non parvus in gente nostrâ semper reper-
 tus est numerus. Jactent alii Latium, Græciam alii, & quicquid fabu-
 losa miratur antiqvitatis: Nos domi habemus, quod conferre cum illis,
 in quibusdam quoque anteferre queamus. Argumento sit vel unus
 PONTUS DELAGARDIE, natione quidem Gallus è Septima-
 niâ, sede Gothorum veteri, Gallis hodie dictâ Langvedociâ, sed qui
 præclaris factis meruit, ut inter indigenas verasque gentis nostræ pro-
 pagines numeretur. Hujus ego vitam & res scripturus, à genere ex-
 ordiar. Quod non ab ultimis inde temporibus accersam, conjecturas
 quasdam dubias & obscuras secutus, more quorundam, qui, ut ambi-
 tioni hominum vanorum satisfaciant, ipsum etiam Achillem generis eo-
 rum autorem prædicant: Sed à seculo post natum Mundo Redem-
 ptorem quartodecimo. Anno nempe salutis millesimo, trecentesimo,
 secundo & octuagesimo, floruit nobilis illustrisque vir ROBERTUS
 DELAGARDIE, Dominus in Russol & Delagardie. Hic, dicto jam
 anno sibi junxit, matrimonio generosam virginem ANNAM DE
 L'ESTANDART, de cujus profapiâ dicam postea. Ex hac con-
 juge genuit STEPHANUM DELAGARDIE, Dominum in
 Russol

ANNO 1382.

Ruffol & Delagardie, qui uxorem sibi legit prænobilem virginem JOHANNAM DE HAUTPOUL, anno gratiæ millesimo, quadringentesimo vigesimo octavo, trahentem originem ex antiquâ illustriqve domo, quæ est in montanis Castrorum. Ex hoc matrimonio prodierunt WILHELMUS DELAGARDIE, Abbas Montiliensis, & alius WILHELMUS DELAGARDIE, Dominus in Ruffol, arcis Leucatensis Præfectus, qui anno millesimo, quadringentesimo sexagesimo nono, die nonâ Octobris, sacro connubio fecdere sibi sociavit JACOBAM DE BELLEGARDE, virginem ex veteri multisqve imaginibus illustri prosapia, antiquam sedem habente prope Mimpicum, aliis Mirapicum, urbem Septimaniæ, quam Galli suâ lingvâ Mirepoix appellant. His conjugibus natus est JACOBUS DELAGARDIE, Dominus in Ruffol, Lagardie & Hornazons in diocesi Narbonensi, propagator stemmatis, ut mox pergam dicere. Natus quoqve est iisdem ejusdem nominis filius alius, primum Monachus, dein Prior cœnobii Montiliensis. Quatuor insuper natæ filiæ, JOHANNA, JACOBA, MARIA & ANNA. JOHANNA nupsit Alexandro du Puy, Domino in Megrin & Lagade, de cujus, pluriumqve illustrium foeminarum propagine dicam, postea, cum claritudinem exponam familiarum earum, quæ sanguinem cum stirpe DELAGARDIANA junxerant in Galliis. De JACOBA nihil reperio in antiquis memoriis, præterquam quod virgo fuerat pietati & cæteris virtutibus sexum suum ornantibus deditissima. MARIA DELAGARDIE nupsit in domum de Bellifand, dictusqve est maritus ejus Dominus de Sainct Couat, cui ortum debet gemina domus, una, retinens nomen de Sainct Couat, in quâ, ut id hic obiter dicam, floruerunt tres fratres circa annum seculi jam currentis sextum & quadragesimum: altera, dicta de Malves; utraqve autem in diocesi Carcassonensi. ANNA DELAGARDIE, filiarum postrema, & trium præcedentium soror, maritum habuit è generosâ domo de Donadien, vocatum Dominum de Picherie, in diocesi Convenensi. E quo matrimonio suscepti fuere tres filii, quorum natu maximus fuit Vice-Comes de Donfron, & Governator d' Angers: reliqui duo fuerunt Episcopi, unus Antissiodorensis in Burgundia, alter Sancti Papuli in Septimaniâ, uterqve Francisci nomine. JACOBUS DELAGARDIE, dicti Wilhelmi filius, & quatuor re-

Anno 1511.

cenſitarum ſororum frater, Anno Chriſtiano Milleſimo, quingentiſimo undecimo, duxit uxorem genere virtuteqve cumprimis claram, CATHARINAM de S. Columba, filiam Berengarii de S. Columba, Domini d' Hopia, è diœceſi S. Ponti Tomeriarum. Hæc domus d' Hopia, ut id hic obiter adjiciam, originem ducit ex agro Bencarenſi, retinetqve etiamnum nomen de S. Columba, eminens inter illuſtriſſimas iſtius provinciæ. His conjugibus orti ſunt AUGERIUS, STEPHANUS & PONTUS DELAGARDII, qui ſtirpem unam in tres quaſi diduxerunt ramos. AUGERIUS DELAGARDIE

Anno 1552.

natu maximus, anno milleſimo quingentiſimo quinqveſimo ſecundo, ductâ nobiliſſimâ virgine BARBARA DE BLES, filiâ Gabrielis de Bles, Baronis de las Rives, è Rutheno ſeu Rovergate agro, genuit tres filios: quorum duos priores, alacres juvenes, ſed inuptos, in acie Mars ſuſtulit: tertium vix egreſſum ex ephebis, degentem inter pueros nobiles Ducis de Joyeuſe, præmatura mors rapuit, atqve ita falce immiti effloſcentem hunc ramum præcidit penitus. STEPHANUS DELAGARDIE ſecundo loco genitus, fratre tribuſqve ejus filiis præmortuis, damna domus reſarcire, ſurrogariqve in avita bona deſunctorum cupiens, Ruſſolum & prædia quædam alia ſibi adfertum ibat, ſucceſſu nullo. Vidua enim fratris ſuperſtes, motâ adſini lite, pleraqve ſibi vindicavit. Cum enim poſt longas judiciorum ambages ei ingens vis pecuniæ eſſet adjudicata, tam ob copioſam dotem, quam in domum mariti adtulit, quam ob legem, quæ matrem decedentium innuptorum filiorum hæredem conſtituit, dictaque pecunia non poſſet ſolvi, Ruſſolum aliaqve bona ei penitus ceſſere.

Anno 1558.

Dictus Stephanus, ante mortem fratris Augerii, die quintâ menſis Septembris, anno ſuperioris ſæculi quinqveſimo octavo, matrimonium iniit cum clari generis virgine PENTHESILEA de Ramejan, hærede nobiliſſimæ domus de Pouzols, qui ex ſe procreârunt PETRUM DELAGARDIE, de quo mox plura. PONTUS DELAGARDIE, ſecutus aliquamdiu caſtra Martis in Italiâ, Scotiâ & Daniâ, tandem felici ſydere perlatus in Sveciam, genus pene intermortuum, in ipſo certè unico ſpem habens relictam omnem, extra Galliam in ſolo alieno fœcunditate novâ recreavit, Sveciæqve auſpicatiſſimum nomen DELAGARDIANUM primus intulit. PETRUS DELAGARDIE, de quo cœpi dicere, Stephani & Penthe-

Penthesileæ filius, Dominus de Pouzols, seculi proximè elapsi anno octavo supra octuagesimum, die vigesimâ nonâ Novembris, duxit clario illustriqve sanguine natam virginem CLARAM de Bellisand, è domo de Malves, numerosâ prole, ut augurabantur noti omnes, in longum porrecturus in solo nativo generis propaginem, quæ tamen destituens spem augurantium, ita defecit in Galliis, ut præter filias aliquot, quantum nunc quidem scire potui, nil planè sui hodie reliquerit. Habuit hic PETRUS è dictâ conjugè sedecim liberos, filios octo, totidemqve filias. Filiorum quatuor primos in tenerâ atate constitutos, humanis rebus cita mors eripuit. Cæterorum natu maximus JOHANNES DELAGARDIE, de Pouzols Dominus, anno seculi jam currentis quadragesimo sexto, decedente uxore MARIA Dexea, Baronis de Talairan filiâ viduus, filias habuit MARGARETAM HYACINTHAM, anno jam dicto adhuc coelibem; MARIAM JACOBAM, Sacrà lustrali adoptione Illustrissimi Comitis JACOBI DELAGARDIE in Sveciâ filiam, quæ, una cum tertiâ mihi Anonymâ, nuncupatis votis ingressa Prullienfè Monasterium. Sextus filiorum Petri fuit VITALIS DELAGARDIE, qui aliquamdiu in Germaniâ militavit Friderico Electori & Duci Palatino ad Rhenum: Eo autem, post susceptum diadema Regni Bohemici, exacto terris avitis, secessit in Livoniam, operam fidemqve addicturus Sveciæ. Illic dum hæret apud avi sui nepotem Illustrissimum Comitem JACOBUM DELAGARDIE, non per Livoniam tantum, sed universam etiam Sveciam supremum rei Militaris Præfectum, repentina acrisqve vis morbi subduxit eum numero viventium. Huic proximus FRANCISCUS DELAGARDIE, anno M. DC. XLVI. cum nomine Serenissimæ Reginæ Regniqve Sveciæ, munere Legati Extraordinarii ad Gallos fungeretur Illustrissimus Comes MAGNUS GABRIEL DELAGARDIE, hodie DROTZETUS supremusqve Præsès justitiæ per Sveciam, rogante Legato, annuenteqve clementer Galliarum Rege, factus est Cœnobiarcha Fuxensis in Occitaniâ. Ultimus octo fratrum fuit GABRIEL DELAGARDIE, occisus in Alsatiâ, dum illic militat sub signis Ducis Rohanii. Horum occubitu extinctum est omne Delagardianum nomen in Galliis, nisi quæ sororum neptiumve ultimi hujus etiamnum, supersint. Neptium nomina superius expressa sunt. Sororum hæc sunt.

sunt. MARGARETA DELAGARDIE, quæ dictæ Legationis tempore, fuit vidua Domini de S. Columba, qui dum vixit etiam fuit Dominus d' Hopia. MARTA & HYACINTHA Sanctimonialis Prulliani Monasterii. FRANCISCA, itidem conjux cujusdam Domini de S. Columba, qui filius hodierni Domini d' Hopia. Post has CATHARINA & HELENA, Deo dicatæ virgines in cœnobio S. Claræ de Asylo. GABRIELA, quam duxit, quidam Dominus de Gvitelenx. Ultima natuque minima MAGDALENA DELAGARDIE, uxor Domini de Marion & Brezillac. Et hic recensensus stirpis DELAGARDIANÆ in Galliis. Antequam hinc discedam, ad ipsâ regrediar principia, doceboque, ut potero brevissimè, quam illustres fuerint familiæ, cum quibus in Gallicano solo gens DELAGARDIANA sanguinem junxerat per connubia, quod facturum me superius repromisi, tanquam rem cum primis pendentem Delagardiacæ domus decora. Primum autem in conspectum dabo perillustrem domum ESTANDARTICAM, cujus res insigni cum laude gestas, per monumenta Annalium latè fufas, perstringam summo verborum compendio. Ex ipsâ, ut dixi, uxorem habuit ROBERTUS DELAGARDIE. Cæterum jam pridem domus illa divisa fuit in duas familias, quarum prior est Montfortiorum Comitum, posterior Dominorum de Baine; sic tamen, ut hæc illâ sit recentior. In antiquiore illâ præ cæteris inclaruit Simon Comes Montfortius L' Amaury, qui imperante Gallis Philippo Augusto, auspiciis sui Regis gravem in Tolosates expeditionem suscepit, sociam operam strenuè locantibus ei duobus fratribus, qui bello confecto, non procul à duobus Comitatus Castriorum & Albigenisum sedes acceperunt, unde multa claraque progenies, quæ etiam nunc in agro Tolosano principem locum obtinet. Insecuto tempore, cum Carolus Dux Andegavensium, Ludovici Sancti frater, sibi proposuisset occupare regnum Neapolitanum, quod testamento ei relictum erat, multi fortesque Duces eum ad id bellum comitabantur. Inter quos Wilhelmus de Baine, filius Marefchalli de Gales fuit, qui equestris militiæ signum in præliis ad Lirim & Beneventum gestavit. Cæterum in eo bello gessit se tam strenuè, ut quot habuerit hostes obvios, totidem victorias reportarit. Hinc Wilhelmo huic hæsit cognomen Estandarticum, (ut ob meritum simile, è nostratibus olim obtigisse ferunt Baneriis,) in virtutis ejus memoriam

tiam transmissum ad posteros. Horum alii in regno Neapolitano confederunt, alii circa Montfortum l' Amaury in Septimaniâ. Sed sicut urbes, ita familias magnas fatorum vis mutationibus esse voluit obnoxias. Cernere id licet in, de quâ nunc loquimur, Estandarticâ. Nam cum aliquamdiu fuisset florentissima, postea, in varias distracta sedes, attenuata est. Assumptis quippe variis nominibus, & cognatione quasi scissâ, posteri à se mutuo divulsi sunt. Qui tamen horum, fati melioribus sedes consequerentur in Regno Neapolitano, inter viros magis conspicuos dignitate & opibus eminuere. Atque surgeret in voluminis prope justî magnitudinem, contra destinationem nostram, hoc opusculum, si omnes scriptores, qui familiæ hujus res stylo signârunt, exciperemus. Quod cum alienum sit à proposito nostro, præstitumque jam ante ab aliis, cupidum talium rerum lectorem remittimus ad autores, qui sunt in manibus omnium. Insignibus est usa, (si fortassis scire quis desiderat) Leone nigro in campo argenteo, gestante humeris exiguum argentei coloris clypeum, notatum tribus lineis rubentibus.

STEPHANUS DELAGARDIE, uxorem sibi legit cum primis generosam virginem JOHANNAM de Hautpoul, quæ familia nunc à stirpe interiit. Fuit olim adprimè nobilis, quietis tamen otii que quam militarium rerum amantior. Post obitum Stephani, illud feudum Hautpoul ad varias familias devolutum est. Hodie id tenet Baro de Hauterive. Familiæ insignia fuere, Leo dimidiâ sui parte niger, cum coronâ rubrâ in campo aureo: alterâ verò dimidiâ parte aureus, in campo nigro, cum caudâ duplici auratâ. WILHELMUS DELAGARDIE, Dominus de Pouzols, conjugem habuit, splendore generis illustrem virginem JACOBAM de BELLEGARDE, quæ familia alias dicta de la Gourcan, antiquitate generis & meritis avorum certat cum clarissimis totius Aquitanix. Quin velut certissimum est argumentum splendoris domus Delagardianæ, quod cum hac familiâ sacrum connubii fœdus pepigit, eo licet tempore, quo ad occasum inclinare videbatur. Atque accidit tum opportune, ut vitales ei spiritus, per substitutionem, ut vocant, redderet unica hæres

Castel dans les Moires de Langvedoc l. 2. p. 349. Hautpoul est un Chasteau qui est entre la ville de Carres & Cabaret ainsi que écrit Pierre Moine de Valsernay au chapitre 61. de son Histoire. il est appellé par luy *Altes Pullus*. les Gestes du bono-Comte de

Montfort ont appellé le dit Chasteau *Haut Poulin* il décrit ce chasteau en ces mots (Ce Castel est une vene roche, ou chef d'une Montagne haute & de grevez avenues & sçachez si les portes fûsient ouvertes & ne les eut nul defendûes, n'ul n'eût peu sans trop paine monter au Chastel. &c.) Sed a Comite Montfort nihilo minus expugnatum ipse refert.

bonorum & insignium familiæ Bellegardiorum, Rogerio, Domino in S. Lans junctâ matrimonio, hac lege, ut si filium eniteretur, hæreditatem adiret nominis, bonorum insigniumqve. Ex hoc Rogerio genus duxit, suæ ætatis Ducum clarissimus Mareſchallus de Bellegarde, qui regnantibus Francisco Primo & Henrico Secundo, præfectus fuit Marchionatui Salinarum, qui est in Ducatu Pedemontano. Cui muneri sic præfuit, ut omnibus pariter carus esset ac venerandus. Nec minore gratiâ sub imperio Catharinæ Medicæe floruit. Cujus rei certius argumentum esse non potest, quam quod illâ regnante, eadem quâ prius secundantis fortunæ aurâ dictum Marchionatum retinuit non tantum, sed etiam adnitente Reginâ, ab Henrico Tertio Magni Stabuli Magistri officium consecutus est. Hic Mareſchallus de Bellegarde, & nomen & insignia familiæ Bellegardiorum usurpavit. Filius verò ejusdem Rogerius, primò Magnus Stabuli Magister Galliarum fuit, mox ab Henrico Quarto Dux constitutus, & inter Pares Franciæ relatus fuit. Atque ut gratiæ suæ in illum argumentum testatius relinqueret, urbem Surregium, vulgo Seurre dictum, titulo Ducatus, & nomine Bellegardiæ ipsi donavit. Ut paucis multa complectar, Bellegardiorum familia uberrimam dedit proventum eorum, qui singularia exempla virtutum longo tempore dederant. Usurpavit ea pro insignibus campanam argenteam in campo cœruleo, cum Æthiophe à latere utroque, manu tenente sagittam. Dixi jam antea JOHANNAM, WILHELMI DELAGARDII filiam, nupuisse Alexandro du Puy, de cujus familiæ claritudine, nec omiserim pauca dicere. Est autem prorsus notabile, quod è connubiò hujus Annæ Delagardiæ Alexandrique du Puy, tanquam fonte, triplici rivo manavit Dupuyorum posteritas. Primum constituebant hi, qui Delagadiorum, etiamnum in Galliis Superstitum, nomen sibi retinuerunt, quorum primi tres fratres, totidem ex se fuderunt alveolos, scilicet Delagadiorum, horum de Megrin, & horum de la Roquette, in quibus singulis, ante annos non adeò multos, claruerunt nomina. Alterum communis fontis rivum ducebant non ita pridem, hi qui titulum tulerunt de Gvitenx, qui duo erant fratres, fororesque tres. Fratrum natu major fruebatur titulo de Gvitenx, qui uxorem sibi legit è nobili familiâ de Pouzols, è qua jam ante annos triginta quinque susceperat filios tres, & filiam unam. Filiorum tum tenerrimum Gabrielem nomine, ex sacro baptismatis fonte, ut testis, vulgo

vulgo patrimus, suscepit Illustrissimus eò tempore Svecorum ad Gallos Legatus Comes MAGNUS GABRIEL DELAGARDIE. Natus minor fratrum de Gvitelex vocabatur Dominus de Pomarede. Illi duo fratres de Gvitelex, habuerunt sorores tres, ut prius monui. Harum natu maxima elocata erat Domino de Padies, debenti ortum suum uni de melioribus familiis totius Episcopatus Vaurenſis, inter quas hæ tres semper habitæ generis clarissimi, utpote Delagadorum, de Gvitelex, & d' Escalibert. In tertio communis fontis rivo, qui nunc tandem exaruit, unica filia, Anna du Puy dicta, fuit celebris. Cui maritus obtigit Carolus du Puy, qui, dum erat in vivis, se scripsit Dominum de Roqvetaillade, ejusdem cum uxore nominis sanguinisque. Scipio du Puy his ortum debuit parentibus. Sed ne multa de hac stirpe adferendo lectori creem fastidium, verbo me expediam. Ex hac domo olim prodiit ingens numerus virorum illustrium, inter quos unus Cardinalis, multi Episcoporum Abbatumque seu Cœnobiarcharum, muneribus insigniti floruerunt. Id unum in cumulum adjecerim. Qui primus datus erat Magnus Magister Sacro Ordini Hierosolymitanorum, postea Rhodiorum, hinc vocatorum Melitenſium Equitum, Raimundus du Puy, hujusdem erat sanguinis ac nominis, quem Miræus latino sc. à Græcis mutuato Podii cognomine extulit, refertque, primam scripsisse suis sodalibus Regulam Hierosolymis, Romæ anno M. C. XXIV. approbatam Honorio secundo Pontifici, postea interpolatam à successoribus, decessisseque seculi ejusdem anno sexagesimo, quo apud nos Rex Ericus Divi seu Sancti cognomine floruit. JACOBUS DELAGARDIE uxorem sibi sociavit illustri genere virginem CATHARINAM de S. Columba, filiam Berengarii de S. Columba, Domini de Loupiac, cujus familia inter vetustissimas numeratur, vocaturque proprio nomine MONTESEVIA, originem sui primam repetens è provinciâ Bencarnensi. Cæterum dictus Berengarius uxorem habuit generosissimam virginem Honoratam du Faur, filiam Armandi du Faur, Domini in S. Jorry, & du Puils, Procuratoris Generalis in Parlamento Tolosano. Hujus pater erat Johannes du Faur, primus in eodem Parlamento Præses, & avus Clarissimi viri Vidi vel Gvidonis du Faur seu Fabri Pibracii, Præsidis in suprascripto & au Montier in Parisiensi Parlamento, Navarreni Regni Cancellarii, qui feculi sui magnum erat ornamentum, cum ob erudita scripta, quæ emisit in

publicum, tum propter legationes quas obiit, & Ministeria, quæ Regi suo, nullis defatigatus, præstitit quam plurima. Nulla relicta prole tempore Henrici IV. obiit. Illa autem Honorata du Faur, aviæ fuit illius Annæ, quæ matrimonium contraxit cum filio Mareschalli de Montluc, ex dicta Montesquiorum familiâ oriundo. Ex quâ originem suam arcessunt etiam Marchiones Montesquii & de Ganges, & alii Marchiones ac Comites de S. Columba, qui supersunt etiam hodie, & insignibus familiæ Columbinæ adjecerunt aurei coloris lineam per campum medium, cum antea haberent tres aureas Columbas in campo cœruleo, & ad insignium latera duos Leones coloris argentei. Nec parum auget DELAGARDIA CÆ domus claritudinem, junxisse sanguinem cum iis familiis, ex quibus Summi Gallicorum Regum Ministri originem hausere. Quippe, ut vidimus, in Estandartico stemmate eminuit Dominus de Gales & Baine, Mareschalli Dignitatem primus in suam domum inferens. In Bellegardico, Mareschallus de Bellegarde, & filius ejus Dux, Par Franciæ, & Magnus Stabuli Magister. In Dupuyorum seu Podiorum domo multi Sacris Civilibusque muneribus viri incluti. In Columbinâ Mareschallus de Montluc, & Marchiones Montesquii. In Favreorum seu Fabrorum non pauci Parlamentorum Præsides, atque inter eos Vidus Faber Pibraccius, qui prudentiâ & auctoritate suâ judiciis publicis vim & decus haud vulgare addiderunt. Cum tam illustribus familiis erat PONTO nostro, ac Majoribus ejus, ut vidimus, tam arcta necessitudo sanguinis. Quam ne solæ hæ pagellæ adstruere videantur, nihil tamen adferturæ, nisi quod explorata veritatis sit, ecce, è pluribus, duos tantum adducemus rerum Gallicarum scriptores illustrissimos, genus vitamque PONTI suis firmantes testimoniis. E quibus prior Jacobus Augustus Thuanus, eloquentiâ & fide clarus ante alios, res Sveciæ memorans, de PONTO habet sequentia: Sveciæ Regis Legatus fuit PONTIUS GARDIUS, nobili

Index in Thuanum im-

presso Geneva Anno 1634. in 4to, monet hunc & alios de Ponto locos corrigendos esse, & reponendum ex *Septimania nobilitate* Pontum De la Gardie ortum. *Peiregoux* Castrum fuit in Diœcesi de Castres, ut ex libro Dn. de Catel, cui titulus est *Memoires de l' Histoire de Languedoc*, patet; & pertinuit quoque ad Gardiam gentem, ex qua primogenitus in dicto Castro commorari solitus erat, cum alterum illud, quod familiæ nomen dedit vocaturque *La Gardie*, situm sit *entre Castres & L' albigeois*. Sive ergo Thuani mens fuerit hoc Castrum *Pirigoux* indigitare, sive Pontum in *Petricosis* Septimaniæ partibus natum, parum interest, & facile conciliari potest.

loco apud nos natus in Petrocoriis (nunc partem facientibus Septima-
 nia, vulgo Langvedocia) qui diu secundâ virtutis famâ bellum Sveco-
 rum auspiciis gesserat, ob id & finibus Imperii ejus longè lateqve pro-
 pagatis, meruerat, ut filiam naturalem ipsius JOHANNIS TER-
 TII Regis in uxorem acciperet. Alterius verò, Francisci nimirum,
 de Mezeray de eodem in compendium adducta, atqve è Gallico Latine
 reddita verba hæc sunt: Liceat mihi, post narratos hoc anno obitus
 Gallorum illustrium, Jacobi scilicet Ducis Neomagensis, & Georgii Car-
 dinalis d' Armagnac, aliqva addere de morte PONTI DELA-
 GARDII, per Sveticum Regnum supremi Militiæ Præfetti, qui hoc
 ipso duobus illis videtur memorabilior, quod soli virtuti magnitudi-
 nem suam debeat. Quamvis autem ipse obiverit remotus à terris re-
 busqve Gallicis, tamen denegare ei locum inter Principes viros Gallia,
 vetat ipsâ ratio, quum ortu, moribus, animoqve intrepido Gallus fue-
 rit, & fortitudo ejus, Gallorum gloriam diffuderit per regiones, quibus
 nomen antea vix satis innotuerat. Pater ejus illustri domo ortus pro-
 pe Ruesium in Septimaniâ, adolescentem eum destinaverat Ministerio
 Ecclesiæ, in cœnobio Montiliensi, Carcassonensis diocesis. Sed ani-
 mus vividus, rerumqve gerendarum cupidior, quam ignavi vitæ clau-
 stralis otii, contineri non potuit his angustiis. Itaque libero cœlo se
 vindicans, & sagum cucullo, campum Martis Rosario Mariæ, præferens,
 armis tractandis se adplicuit. Dans autem nomen Militiæ, prima ru-
 dimenta ejus deposuit in Pedemontio, sub strenuo Duce Marefchallo
 de Brissac, suo tempore collapsæ disciplinæ Militaris restauratore inclu-
 to. Postmodum, jussu auspicioqve Henrici Secundi Gallorum Regis,
 sub Henrico Clutino Oyselio, supremo Gallicarum Legionum Ductore,
 aliqvot eqvitum alas ipse ductabat in Scotiam, Margaretæ Scotorum
 Reginæ in auxilium adversus rebellionem civium. Sed pace isti Regno
 mox redditâ, invitabat eum in Septentrionem occasio belli quod gere-
 batur inter Ericum Quartum-Decimum Sveciæ, & Fridericum Secun-
 dum Daniæ Reges. Huic cum animum fidum ac interritum per ali-
 quod tempus impendisset, à Svecis vulneratus, & bis captus est. Post-
 modum impetratâ à Friderico Rege honestissimâ dimissione, adnitente
 Philippo Mornæo Gallo, exercitus Svedici Ductore strenuo, mutavit
 Dominum, & Erico Regi successoriqve ejus fidam navavit operam.
 Hæc Mezeræus. Quæ paulo liberaliore manu adduci à me oportuit, ut
 Contigisse hoc in Expu- gnatione Warbergi An. 1565. 28. Augusti ex Messenii Scandia Illu- strata patet.

Carolo Mornæo Gallo, domino de Varennes.

famofum libellum Jacobi Typotii venenati convincerem mendacii, quo ille, fuggerente veteri quodam congerrone Ægidio, ut ipse fatetur, homine ignoto ac terræ filio, natalibus, vitæ famæque PONTI adfpergere voluit labem, quam fœdiffimam confcivit fibi ipfi, typis committens fuco dictionis pictas livorisque plenas calumnias. Sed quid mirum eft, allatrâffe eum genus & famam PONTI, qui ne Regibus quidem, aut ulli Svecicæ gentis honefto viro fatis fuit æqvus? Etenim, in monftrofo illo ingenii fœtu, recufo nuper à malevolis, nefandi in bonorum famam fceleris confciis, atque ideò nec loci nec editoris nomen proferre aufis, debacchatur in Ericum ipfum & Johannem Reges, adeò non parcit aliis viris illuftribus ex ordine Equelti, quorum gloriofa femper fuit, ac deinceps erit apud pofteros memoria. Quin imò, in religionem, & nationem ipfam, cujus, ut Pontificius è Belgio facrificulus, flagrabat odio, ftolidè nonnunquam invehitur. Ob quæ, aliaque facinora, damnatus hic fuit capitis, luiffetque factis dignum fupplicium, nifi interceffio Regis Daniæ interveniffet, quæ quidem à meritâ morte illum liberavit, fed non ab ignominiofâ ex hoc Regno relegatione. Ego, in majorem rei fidem, Regis JOHANNIS TERTII literas ad Regem Daniæ Fridericum Secundum fcriptas, quæ in Archivo Regio adhuc adfervantur, omni exceptione majores, de verbo ad verbum latinè utcunqve expreffas, hic exhibebo, ne quis poffit dubitare, quam Typotius, tot convictus criminum, in hujus generis narrationibus mereatur fidem. Sereniffime Princeps, Frater & vicine amande. Regiæ Vestræ Majeltati amicè significamus, pridem allatas ad nos effe M.tis V.æ literas, per dilectum nobisqve fidelem confiliarium noftrum, arcisqve Croneburgenfis Præfectum, Nobilem & illufrem virum Claudium Bielcke de Wiik, quibus R.æ V.æ M.tas intercedit pro Jacobo Typotio, ut eum in carcerem compactum libertati priftinæ reftituamus. Hifce M.tis V.æ literis nunc amicè respondemus, libenter profittentes, non deeffe nobis voluntatem ac ftudium R.æ V.æ M.ti gratificandi, fed quo minus petitioni M.tis V.æ in hac caufa fatisfacere poffimus, facit magnitudo fcelerum, quibus caput fuum obftinxerat idem Typotius, quæ fi æqvè M.ti V.æ ac nobis nota fuiffent, fcimus, non tantum tributuram fuiffe M.tem V.am ejus defideriis ac precibus, ut pro ipfo intercedere fuftinuerit. Etenim is homo eft, qui virus mendacis lingyæ, fine ullo difcrimine, in fummos imosqve

Meffenius
Scondiæ Illu-
ftratæ l.VII.ad
Anno 1581.
APonto Ty-
potius pluri-
marum cen-
victus impo-
fiturarum &
calumnia-
rum, carceri
perpetuo ad-
judicatur
mancipatur-
que, inquit.
unde mirum
non eft, quod
in illum in
primis debac-
chetur.

passim

passim effundit. Inde est, quod non tetro tantum carceri mancipandum, sed ultimo, etiam supplicio afficiendum eum censuimus, in quem si quid mitius in posterum decreverimus, id clementiæ nostræ, Majestatisque Vestræ intercessionem, non innocentiam suam debebit. Confidimus certò, M. tem V. am hanc excusationem nostram, ut justam & idoneam adprobaturam. Si aliis in rebus M. ti V. æ, ut bonum vicinum fratremque decet, quid gratum facere poterimus, exhibebimus nos ad id promptos semper ac benivolos. Dabamus Holmiæ, die XVII. Februarii, Anno salutis M. D. LXXXIII. Sed hæc quidem hoc loco satis de malitioso animo Typotii, ex quo non magis expectari verum potest, quam jucundus odor ex oppletâ fordibus lacunâ. Nos ad ipsum potius jam pedem promovemus PONTUM, cujus gratiâ, quæ de genere DELAGARDIORUM præmissimus, sunt allata. Ostendemus autem in descriptione vitæ ejus, quot quantasque res gesserit, quanta bona in Sveciam contulerit, quâ Heroicâ virtute & felicitate armis Dux præfuerit, quibus Legationibus perfunctus fuerit, & ob hæc omnia, quibus honoribus à Johanne Rege adfectus, postremò, quomodo ultimum spiritum Regi Regnoque impenderit. In his occupati, adpersimus rerum Livonicarum haud pauca, ex ejus præficientis ævi Historiâ, tum quod PONTUS palæstra virtutum aliquamdiu, tum quod ductu ejus, ad reverentiam imperii Sveo-Gothici, ex longissimâ temporis intercapidine, nobilis hæc provincia, velut postliminiò redierit. Attigimus etiam jura vetusta Regni hujus in præcingens littora ejus mare, contra eos, qui utcumque populorum in circuitu sunt novissimi, turpi tamen verborum fucò, videri gestiunt & ætate & juris istius fruitione antecessisse semper Gothos ac Sveones. Quorum argutiis convellendum est refellere.

B 3

Quin & Maimburgum falsitatis satis abunde convincunt epistolæ Caroli IX. & Henrici IV. Galliarum Regum ad Pontum eo stylo scriptæ, quali erga hominem ignobilem & fortè d'un village certe usi non fuissent, si ejusmodi honore indignum judicassent, vel de genere ejus minus certi fuissent. Danzeus quoque & Seqvierius summis eo tempore in Gallia ministeriis præfecti (ut taceamus exteros, ipsumque Rudolphum Cæsarem, matremque ejus Mariam, & Fridericum Daniæ Regem, ac Radzevilios, Zamoischeos, Chytræos Frederosque) illum in tanto honore non habuissent, nec tam arctâ amicitiam coluissent, quod tamen eos fecisse ex literis, quas ei dederunt, constat, si de fama vel origine ejus dubitassent. Neque enim illis viris mos fuit amplexus suos in crucem mittere, ut Petronianâ utar phrasi.

Quæ de genere Ponti Maimburgus in libro suo de Lutheranismò minori fortassis malitiam, pari inficitiam vulgavit, ex adductis hisce Thuani & Mæzeræi locis, nec non ex Gardiæ gentis genealogiâ a viro nobili in Gallis conscriptâ, facile est refellere.

dum immoramur, excrevit opus præter spem in molem prope justivoluminis, futurum tamen prudentibus, ut auguramur, tanto gratius, quanto solidioribus rationibus firmantur ea, quæ Summus Vir PONTUS, in sui Regis Regniqve hujus rem, pro ipsorum juribus adferendis, in exterorum Principum Aulis, facundissimo ore disseruerat. In quibus commemorandis, dum passu impare legimus tanti Viri vestigia, non ita sumus temerarii, ut arbitremur, ex voto eruditi Orbis, meritisqve Viri tam incluti, nos executos omnia. Cujus enim, nisi dicendi facultate Maximi, laudes tanti Viri, adeoque inlustri Delagardianæ domus decora, percensuerit oratio, quæ in nobis ita exilis est ac tenuis, ut ad meritum ejus Magnitudinem adfurgere haud ullo modo potuerit. Si itaqve ingenii paupertini culpa laudibus ejus quid à nobis detractum potius quam adstructum est, æquo animo ignoscent, speramus, Boni, cum scierint, non fiduciam nostri sumpsisse, sed benignissimam Superiorum voluntatem, cui refragari impium censuimus, imposuisse hanc vires longè exsuperantem provinciam. Cæterum haud pœnitebit, præmississe illud, quod PONTUS, strenuus licet miles, & indomitum quid Martiumqve semper spirans, eâ circumspeditione cautioneqve vixerit in aula Regis Erici, ad suspiciones omnes facilis, & crudelissimis consiliis flagitiosissimi hominis Georgii Petri, ad aspera & immittia quævis extimulati, ut non modò non in aliquod adduceretur discrimen, sed & quem semel in gratiâ Principis acquisivisset gradum, eum constanter teneret, essetqve carus Regi, aliisque cunctis venerabilis. Unde falli cernimus eos, qui negant, sub molesto Principe posse viros eximia virtutis interesse negotiis Reipublicæ: quum experimentis rerum constet, modestiâ & obsequio imperia acerba mitigari. Et mox quidem ut solutus sacramento militari, quo fidem suam Danico-Regi obstrinxerat, honestissimaqve impetratâ dimissione, in Svetici Regis clientelam se dederat, alia post aliam præbebatur PONTUS virtutis exercendæ materia. Motæ quippe inter Sveones Danosqve variæ controversiæ, cum componi viâ juris non possent ultrò citroqve missis Legationibus ac epistolis, res spectabat ad arma. Et Dani, à quibus litium initia, priores apud Gallos, Gallici Regis permissu, armorum militumqve vim ingentem pecuniâ comparaverant. Ne minus his rem suam muniret præsidii Ericus Rex Sveonum, Joachimum Birgeri, ex illustri quondam, hodie extinctâ Gryphorum familiâ, PONTUM

QVE

Anno 1565.

Anno 1566.
d. 30. Maji,

QVE DELAGARDIUM misit ad Carolum ejus nominis No-
 num Regem Gallix, rogans, ut ex formulâ fœderis inter patrem suum
 avumque Caroli initi, non sibi minus quam Dano, haud incerto jam
 hosti Sveciæ, liceret arma ac militem è terris suis conducere. Id ne-
 gotium egerunt apud Gallos eo successu follertiæ, ut inde in has oras,
 post paucos menses, tria peditum totidemque eqviturum millia addu-
 xerint. Reversi in Sveciam, res ejus invenerunt perturbatissimas. Pre-
 mebatur enim malis gravissimis, tantumque non sub onere ingenti suc-
 cumbebat, cum infesta ei signa animis sociati Poloni, Dani atque Lu-
 becenses unotempore inferrent. Magni Muschoviæ Ducis, tempori
 semper insidiantis, infida etiam erat amicitia. His deterius patriæ in-
 cubuit malum domesticum. Simulata potius, quam bonâ fide culta
 duorum fratrum Erici Regis & Johannis Ducis Finlandiæ concordia.
 Quæ rupta penitus, postquam Johannes, ductâ Polonici Regis Sigismun-
 di Primi filiâ Catharinâ, atque ingenti pecuniarum vi socero adfinit-
 que creditâ, pignoris loco arces quasdam reciperet Livoniæ. Hæ ali-
 quamdiu ditionis Magistrorum Ordinis Teutonici, tunc Regum Polo-
 niæ, cum à neutris satis haberent præsidii adversus immanem Muscho-
 vitici Principis favitiam, repulsam etiam passâ nuper opis expetitæ ab
 Imperatore Germanico, in fidem clientelamque Erici Regis supplices
 concesserant. Harum aliquas titulo pignoris per fratrem suum subduci
 obsequio indignabatur Ericus interpretabaturque junctam cum stirpe
 Jagellonicâ necessitudinem sanguinis, societatem exuendi se non in-
 certo jam dominio Livoniæ. Non contentus ista enunciare his, quos
 secretiorum cogitationum esse voluit participes, ad Ordines etiam Re-
 gni in publicis Comitibus detulit, fratrem absentem inauditumque per-
 duellionis insimulans. Mox, quasi convictum criminis, per suborna-
 tos in hanc rem milites, in Ducatus sui sede Aboënsi arce captum, Hol-
 miam raptat cum conjugè, detrusumque detinet per annos aliquot in
 Gripsholmensi carcere. Consiliarios Ministrosque Ducis alios aliter
 multat, nonnullos etiam contis suffixos populo dat ferale spectaculum.
 Quidam professi artem divinandi ex astris (si modò ars est, non va-
 nissimi cujusque ludibrium) in fatis esse prædixerant, ut regnum ei in-
 terverterent insidiæ. Hinc favire cœpit in viros illustrioris sanguinis,
 quos erectior spiritus imperii capaces ostenderet. Præ cæteris Sturiæ
 gentis viros aliquot inclutos, nullius in quenvquam sceleris, multorum
 in

in Svartzö-
 edita sunt Le-
 gationis hujus
 mandata &
 epistolæ.

Anno 1567.
d. 23. Maji.

in ipsum patriamque meritorum compertos, per immisos satellites, unum etiam manu sua, sustulit in Upsaliensi carcere. Dederat gens Staria paulo ante tres serie continua Regno huic Gubernatores inclutos. Horum tenuisse nomen, duxisse sanguinem, reos apud ipsum fecit præter fas expetiti imperii. Ipsa fundendi sanguinis advetudo sic arrisit, ut tota innocentium etiam agmina corripuerit. Sed dum sævis factis declinare studet vim Fati, ipse sibi fatalem struit necessitatem, amittendi Regni. Documentum ingens Principibus, ne stultè credant divinatorum naniis, neu sperent, Regna servaturos se sævitia, quæ servari solo possunt cultu justitiæ ac clementiæ. Certè, post patratas innocentium multorum cædes, jam non obscuræ ferebantur voces populi, regnandi jure excidisse immitem Principem. Hujus iram ut mulceret insigni aliquo specimine clementiæ, fratrem Johannem Ducem, deterso carceris squalore, libertati dignitatiqve pristina restituit. Eidemque, præter cætera argumenta duraturæ in posterum benivolentiæ, PONTUM DELAGARDIUM concedit; virum in negotiis pacis ac belli spectatæ industriæ, ut ejus uteretur opera, ubicunque rerum magnitudo posceret. Aliquantò post, nullo successu tentatis primum Elizabethæ Anglicæ; dein Mariæ Scoticæ, hinc Christianæ Hassiæ, tandem Renatæ Lotharingicæ Principis connubiis, repulsarum ignominiâ commotior, decernit ducendam Catharinam, Magni cujusdam, seu Regii satellitis, seu Decurionis inter milites, filiam, quam per annos jam plures non unâ prole matrem habuerat in contubernio. Erat hæc, si sordes natalium exceperis, fœmina non improba. Huic apparatusissimo cultu decernit nuptiarum coronationisque solemnia, invitatque, præter Ordinum Regni lectissimos, fratres Duces, simul sororem Sophiam elocaturus Magno Duci inferioris Saxonie. Dum hæc parantur, manat in vulgus struendarum in Principes fratres Proceresque Regni insidiarum rumor, verus ne an vanus, ab initio non satis sciebatur: Quem tamen similimum vero mox fecerunt, ingenium Erici suspicax, infidum, in modum Euripi æstuans, & mobile semper ad obsequia pravè consulentium. Ambigunt fratres Principes, an venire debeant ad festum diem coronandæ Reginae, thalamum mariti probro, sanguinem Regium maculâ, Duces paranympchos dedecore, Regnumque universum oppleturæ, ut rebantur, ignominiâ. Inter hæc adferuntur ad Principes amicorum ab omni parte literæ, mo-

mentes,

Anno 1568.
d. 4. Julii.

nentes, caverent sibi à futuris inaugurandæ Reginae, elocandæque sororis solemnibus epulis, quibus haud aliter usus sit Rex quam retibus, capturis everfurisque haud dubiè suspectos fratres Regniqve Proceres, operosâ aliàs conquirendos indagine. Ad hæc adjungunt se Ducibus aliquot, de suâ ipsorumque jam salute solliciti, decretam adserentes omnium necem, certumque debere opprimi, ni opprimant. Frustra adhiberi fidem promissis totiens juratis violatisque Erici, ludentis jam perjuriis, ut solent pueri astragalis. Tot rebus adstructâ primo ru-

In historia
manuscripta,
quam de rebus
Sveticis
Jolivetus
Parlamenti

C

mori Parlamenti

advocatus gallico sermone conscripsit, quamque Comes Celsissimus MAGNUS DELAGARDIE a filio ante annos aliquot redemit, & in sua bibliotheca, donec Upsaliam transfereretur (ubi nunc est) asservavit, talis Ponti ad Catharinam Jagellonicam allocutio extat: *Madame, toute la cour s'etonne comment Monsieur votre Epoux n'a pas pitié de ce miserable royaume, ou tout le monde étant infiniment offensé & lasé des insolentes cruautés, & tyrannies du Roy son frere; Luy seul y peut facilement remedier. Je vous assure que tous les Grands & les petits jettent les yeux sur luy pour luy mettre, s'il veut, la couronne Royale sur sa tête. Il l'a mérité aussi justement, que ce barbare, qui en est indigne au jugement de tout le monde. Si Monseigneur votre Mary le veut, il est aisé de le rendre Maître de cet Estat, & de le faire grand Prince au lieu de Duc qu'il est, qui ne pourra sans doute éviter la mort ou la prison perpetuelle, de la quelle luy & vous êtes déjà sortis comme par un miracle, alors que vous y pensez, le moins. Je scay pour assuré de tous les Capitaines, que les six mille Escossois, qu' Eric tient à sa solde, sont mescontents, & ne demandent rien plus qu'à changer de maître faute de payement. Dailleurs il est certain, que les Ducs Magnus & Charles ses freres, avec les plus grands du royaume sont extremement offensés & marries, qu'un si grand Roy que leur frere ait épouse la fille d'un miserable sergent, condition odieuse. Madame, prenez donc l'occasion, qui se presente si favorable, aux cheveux, pour le bien de l' Estat, pour le repos du peuple & des provinces, & pour l'avancement de votre cher Epoux & de votre maison. Cujus cum in historia patriæ nullum præterea existet vestigium, pro certo affirmare non possumus genuina ne sit, nec ne? Hoc magis veritati convenire videtur, quod supra de Ponto refert: Le Duc Jean, Prince prudent & sage, qui connoissoit bien les humeurs, l'esprit & les infirmités, du Roy son frere, flechit enfin a ses commendements, & accepta le faix de cette grande & peimble charge. C' estoit la charge de vice Roy, Lieutenant-General, & Gouverneur de Suede & des deux Gothies. Mais il luy remonstra sincerement, que sa longue prison luy avoit fait du tout perdre non seulement tous les fidelles serviteurs, mais aussi les bonnes & anciennes habitudes & connoissances, qu'il avoit à la cour, & qu'il supplioit tresinstamment sa Majesté de luy donner quelqve fidelle conseiller & digne second, sur lequel elle put se reposer assurement, & pour être un illustre remeing & compagnon de ses actions & comportements. Sa demande étant juste, Eric luy donna volontiers Pontus de la Gardie ou de la Garde, gentil-homme francois de nation, qu'il aimoit grandement pour son esprit & son courage, & l'avoit tellement avancé dans ses Estats, qu'il se servoit de ses dignes conseils en toutes les affaires de haute & grande consequence.*

d. 29. Sept.

mori fide, initoque fœdere, de propulsandis vindicandisque semel injuriis, abeunt in provincias, tentatisque animis militum ac provincialium, prope omnes inveniunt alienatos à Rege ob fœvitiam. Sacramento adactis omnibus ad obsequia Ducum, validoque collecto exercitu, ad obsidendum securum Regem quantâ possunt festinatione tendunt Holmiam. Prævenit adventum Ducum fama collecti in Regem exercitus, ad quam ille excitus, implorat opem civium, quorum plerique pertæsi acerbi regiminis, surdas obvertunt aures precanti, hilares, advenisse tempus, quo jugi in dies ingravescentis leventur onere, antequam succumbant penitus interituri. Itaque subnixus ope paucorum, in quorum animis non dum obsoleverat Majestas sui Principis, congressusque cum pluribus ac fortioribus, non poterat non redigi ad angustias. Atque tum præferoci Regi adparuit, & favore civium, & successu fulciendæ potentiae desitui potentes rerum, cum exutâ reverentiâ Numinis, ex amplâ potestate usurpant nil præter trucem, quidvis in subjectos agendi licentiam. Id Erico Regi accidit. Quem folio sublimem vidit sol oriens, eundem occidens vidit provolutum ad aliena genua. Post Johannem ac Carolum hæreditarios Regni Principes, præcipui copiarum Regi adversarum Ductores erant Steno Erici *Lehn*, *Hustrud* Ducum avunculus, & PONTUS DELAGARDIUS, qui per australe suburbium in ipsam Holmensem urbem penetravit suo cum milite. Hi cum Regis congressi, post dimicationem aliquam, delusi fide amici colloqvii, graviter vulnerantur; ille lethaliter, ut post paucos dies inde obiverit, hic brachium perforatus bipenni, quæ velut cos, viri in hostes alacritatem acuit, eò usque insistentis cedentibus, donec porrectâ palmâ deditoque Rege, plenam victoriam Ducibus concederent. Hinc exauctorato Rege, septoque arcâ custodiâ, unâ mente Proceres civesque ad proximum natu Johannem, ex juris succedendi formulâ, cum regendi potestate, Regni deferunt insignia. Sedato motu, inter præcipuos constituendarum firmandarumque rerum Ministros, PONTI eluxit opera, meruitque fide ac agendi dexteritate, ut ex illo tempore, in propiorem adfisceretur locum amoris ac gratiæ. Cujus industria ut Regi magis esset ad manum, aulæ suæ summum eum Moderatorem seu Magistrum constituit, cui obtemperare jussa omnia aulæ Ministeria. Injunctum simul munus curandi cuncta, quæ secururæ coronationis solemnitati forent necessaria,

ria,

ria, quæ peracta fuit Upsaliæ anno sequenti die Julii mensis decimo, Anno 1569.
 quo, inter alios plures, PONTUS consecutus est Aurati Equitis titulum, d. 10. Julii.
 in liquidum totiens spectatæ virtutis argumentum. Firmatis utcunqve domi rebus, ad refarciendas eum vicinis Regibus, per Ericum Regem in odia ac bella solutas amicitias, animum Johannes Rex adpulit. Cumqve præ cæteris Danus, literis significasset, se æquam non adspernaturum pacem, eò maturè, anno scilicet superiore, ejus constituendæ causâ Legatos miserat. Qui anno eodem, circa finem mensis Octobris, à Roschildensi Deputatorum utrinqve congressu reversi, non ferendas pacis leges adtulerunt. Mox itaqve, circa finem anni ejusdem, per literas missas in omnes Regni provincias, quarum impressa exempla etiamnum reperiuntur passim, planum fecit Rex, qualem daturi erant pacem Svecis Dani. Itaqve istis pacis legibus suâ civiumqve sententiâ meritò rejectis, continuatio armorum pactione servitutis habebatur potior. Ad quam majore vi depellendam, peractis coronationis solemnibus, PONTO aliisque copiarum Ductoribus comitatus Rex, ad Regnorum descendit confinia. Illic fortunâ variâ, ut fieri solet, pugnatum est. Quo loco fuit PONTUS, ita adversam se exhibuit, ut inter confertissimos dimicans, gravi accepto vulnere, in manus hostium venerit. Hinc in Daniam abductus, arcâ tenebatur custodiâ, donec die tertiadecima Decembris anni millesimi Anno 1570.
 quingentesimi septuagesimi, planè restauratâ per Stetinensem transac- d. 13. Dec.
 tionem pace, captivi utrinqve juberentur restitui. Cumqve anni iterum sequentis mense Martio, tabulæ pacis, Regum nominibus sigillis Anno 1571.
 que adpositis munitæ, præstituto loco essent utrinqve traditæ, mox d. 16. Martii.
 PONTUS, impetratis quam honestissimis dimissionis literis à Rege Daniæ, è captivo liber dimittitur. Quas literas Friderici Danici Regis, Regii sigilli munimine visendas apud Illustrissimum PONTI nepotem, Svedici hodie Regni Drotzetum, bonâ fide è Danico in latinum sermonem conversas hic adducere pretium erit operæ. Nam non aliunde melius dilucet Typotiani mendacii vanitas, quâ, ut superius indicavimus, nugatur, apud Ericum Sveonum Regem PONTUM captâsse locum gratiæ, proditâ ei Wardbergenfi arce. Si sic se res habuisset, quomodo potuisset Fridericus Rex, sponte nullaqve adactus necessitate, rerum sibi carissimarum proditorem, cari dilectiqve sibi Equitis nomine compellare? Quis unquam Regum, arcium, terrarum copiarum-

piarumque suarum proditorem, dignatus est nomine tam honorifico, ac non potius quovis, pro atrocitate facti, proscidit non injusto convictio? Cur non æquam tanto facinori mercedem retulit? Cur alia omnia de se meritum, mancipio jam sibi etiam traditum, non benignè tantum toto captivitatis tempore habuit Rex, sed etiam redintegratâ cum Svecis pace, honoris gratiæque plenissimis literis securum redire fecit in Sveciam? Ut os mendacio penitus obturetur, hic à me dictis fidem adstruens producam Regis diploma, quod in hunc modum loquitur.

” Nos Fridericus Secundus Dei gratiâ Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum
 ” Gothorumque Rex, nec non Slesvici, Holfatiæ, Stormariæ ac Dith-
 ” marsiæ Dux, & Oldenburgi Delmenhorstiique Comes, notum faci-
 ” mus universis, quod, quoniam dilectus nobis PONTUS DELA-
 ” GARDIE, Eqves Auratus, tempore finiti jam belli, in aperto
 ” campo, sub infestis nobis signis captus, atque aliquanto tempore in
 ” Regno hoc nostro captivus detentus fuerat, ac in eadem captivitate
 ” se, sicut vitæ fideique integerrimæ virum decuit, gesserat, lege pacto-
 ” rum, quibus pax inter tria hæc Regna nuper restaurata est, jubente
 ” captivos utrinque restitui, nos dictum modò PONTUM, solu-
 ” tis custodiæ repagulis, liberum dimittimus, ut se, nemine impeditu-
 ” ro, in Sveciam tutò possit recipere. Itaque prohibemus seriò, ne
 ” quisquam, quicumque etiam sit, peculiariter autem Præfecti nostri,
 ” officarii, alique omnes, quicumque impedimenti aut molestiæ, circa
 ” trajectus fluminum, maris, aut usquam alibi, ei faciant, adversus in-
 ” hibentes has literas nostras, nisi favore gratiæque nostrâ velint exci-
 ” dere. Dabamus in arce nostrâ Fridericoburgensi, die XVI. Martii
 ” A. M. D. LXXI. adposito sigillo nostro

FRIDERICUS.

Rediit Johanni Regi PONTUS acceptissimus. Nam non solum priore Aulæ Præfecturam, interpellatam captivitate Danicâ, recepit; sed etiam novis cumulatus est honoribus. Collatam ei ipso die coronationis Regiæ Dignitatem Equestrem, superius suo loco diximus. Hoc anno, die XXVII. mensis Julii, paucis mensibus postquam à Danis rediit, auctus est titulo Liberi Baronis, donatus eximiis bonis adtributis Ekholmensi, cujus nomen usurparet, Baronatui. Insuper, reverso ornatiores reddi etiam voluit prisca Delagardiæ gentis insignia. Quâ de re memorabile prorsus diploma Johannis Regis, luculentum

d. 27. Julii.

lentum augustumque testimonium virtutum meritorumque PONTI, integrum juvabit adponere, quod in hunc modum conceptum est. Nos Johannes Tertius DEI gratiâ Svecorum Gothorum Vandalarumque Rex. &c. &c. &c. universis ac singulis, cujuscunqve gradus, Status, dignitatis, præeminentiæ conditionisve fuerint, ad quorum notitiam hæ nostræ literæ pervenerint, notum facimus testatumque volumus, Nobilem ac generosum Dominum PONTUM de Rusfol, & Dominum de la Gardie, natione Gallum ex Gasconia, Nobis Regnoque nostro in annos sex promptissima fidelissimaque officia, constantiam atque animi magnitudinem, in nostris Regniqve negotiis expediendis, ut aliàs in hunc usque diem, ita præcipuè in bellis, quæ nobis cum nostris regniqve hostibus gerenda erant, semper præbasse. In bello enim quod contra Ericum Regem justis & necessariis de causis suscepimus, cum ut honori, vitæ atque salutis nostræ, carissimæ conjugis, liberorum, fratrum ac sororum, aliorumque sanguine ac affinitate nobis junctorum, adversus ipsius tyrannidem, & detestanda consilia, cum sceleratis consiliariis quibusdam suis aliisque communicata, consuleremus, tum ut patriam, Sveciæ & Gothiæ regna, tristi ex calamitate, quâ in annos octo, ipsius immiti sub imperio, oppressa fuerat, divino auxilio freti, liberaremus; hic Dominus PONTUS fideliter ac strenuè se gessit, donec nostram in potestatem, & Regem Ericum & Regnum armis, DEO institutum nostrum adjuvante, redegerimus. Primus quoque Regiam & Metropolin Regni nostri Stockholmiæ, tandem à nobis occupatam ingressus, ab Erici militibus in urbe vulneratus est. Et postea, in bello Danico, cum nos ipsimet ad fines Regni nostri, adversus Regni hostes constituti essemus, semper nobis non adfuit modò, verum primis vexillis præfuit, & forti animo cominus pugnans, in manus hostium venit, magnoque accepto vulnere, captivus in Daniam abductus est. Nos igitur considerantes, Regiam cum primis decere Dignitatem, ut fidelibus ministeriis virtutibusque merita reddantur præmia, quod omni equidem tempore Imperatoribus, Regibus & Principibus usitatum fuit laudabili consuetudine. Sic apud Romanos veteres, qui pugnaturus, primus vel murum conscenderat, vel oppidum intraverat, vel in castra hostium pervaserat, coronâ vel murali, vel castrensi donabatur, ipsi quidem in aliquod suscepti laboris ac

periculi præmium, cæteris verò in exemplum, quo ad similia fidelitatis virtutisque exercendæ studia acrius incitarentur. Itaque & nos hunc Dominum PONTUM dignum judicavimus, quem insigni aliquo præmio condecoraremus: Eamque ob causam, ex singulari gratiâ, & autoritate regiâ, cum in rerum dictarum significacionem, tum in animi sincerè nobis dediti, ac exercitiæ strenuè virtutis compensationem, Regiæ nostræ coronationis die Equitem Auratum, postmodum Baronem quoque eum creavimus, adque Dignitatem eam tuendam certa ei feuda dedimus, prout in literis nostris eâ de re confectis, nomina singulorum expressimus. Et nunc ad ipsius insignia, quæ per hæreditatem à majoribus acceperat, turrim rubram, cum argentei coloris clathris in campo aureo, & super turrim dimidiato corpore exstantem leonem cœruleum, armato dextro pede strictum gladium conspersum sanguine tenentem, prope verò turrim duo flumina addidimus, & præsentis nostri Regii diplomatis vigore præfictis ejus insignibus adjungentes usurpanda dedimus, concedentes, ut ipsi, ipsiusque legitimis liberis ac posteris integrum sit, ex hoc tempore in futurum perpetuò, dicta arma prioribus gentilitiis insignibus addita, in omnibus & singulis honestis rebus, negotiis, actionibus, in bello, bellicis officiis, certaminibus, hastiludiis, ædium ornamentis, tentoriis, sigillis, tapetis, epitaphiis, ac aliis quibuscunque rebus, pro necessitate, conditione, voluntate & arbitrio suo, proque usitatâ ac ubique terrarum recepta Nobilium consuetudine, habere, usurpare, retinere, possidere, iisdemque uti, frui ac gaudere possint. Quocirca ab omnibus & singulis, cujuscunque status, gradus, dignitatis, eminentiæ conditionisve fuerint, amicè petimus, benignè & clementer postulantes; à nostris verò Regni que nostri, tam superioris quam inferioris Ordinis civibus, per præsentem has seriò præcipimus & mandamus, ne memoratum Dominum PONTUM, ejusve legitimos hæredes aut posteros impediant, impedirive faciant aut permittant, quo minus dictis insignibus quietè perpetuò utantur, fruantur ac gaudeant: considerantes, memoratum Dominum PONTUM militari virtute, & singulari in Nos nostrumque Regnum studio ac fide ea promeruisse. Quod nos pari vel simili in re pari similique benevolentia prompti ac parati erimus demereri: Nobis verò subditis, & his qui mandatis nostris tenentur

nentur obsequi, serio injungimus, mandatum hoc nostrum volunta-²²
 tisque decretum rite semper exequantur. In quorum omnium ma-²²
 jorem firmioremque certitudinem, nostrâ manu hisce literis subscri-²²
 psimus, nostrumque sigillum appendi jussimus. Dat. Calmarniæ die²²
 VI. Octobris Anno CHRISTI M. D. LXXI. Hæc Rex Johan-²²
 nes P O N T O contulit, non in redhostimentum magis virtutis præ-
 teritæ, quam auctoramentum futuræ. Nam eodem quo hæc scribi
 fecit loco ac die, & sequentibus nonnullis, ipsum & Claudium *Bielcke*
 de *Wick* juvenem magnæ virtutis ac profapiæ, aulicum suum, nec
 non Hermannum *Bruser* Secretarium, ad Galliæ Hispaniæque Reges,
 Principem Navarra, Episcopum Monasteriensem, Ducem Albanum,
 Comitem Ostfrisum, Frisiosque Ordines, nec non Liberas aliquot ur-
 bes Imperii Germanici, variis instructos mandatis Legatos misit. Cau-
 sam mittendi habuit præcipuam, ut in novo imperio, veteres cum ex-
 teris Principibus amicitias repararet; non unis, ut ipsi missis nuper
 literis quæsi erant, flagrante adversus Danos bello, temeratas Erici in-
 juriis, nec minus suis, dum naves mari mercantium alienorum civium,
 arma ac commeatum hostibus jam Sveonum Russis Narvam advehen-
 tium, cum mercibus ipsis interciperet. Præter hanc causam com-
 munem ad plerosque, etiam alias peculiare habuit ad singulos, de
 quibus dicam particulatim, eo ordine, quo Legati adiverunt terras
 Principum cujuslibet. Sub initium mensis Novembris, convasatis re-
 bus ad iter necessariis, solventes portu Calmariensi, trajecto sinu Bal-
 this, ad *Hiddensteam* vicinam *Rugiæ* destituti ventis secundis, coacti in
 terram exscendere, per *Stralesundam*, *Rostochium* & *Vismariam* me-
 dio Novembri *Lubecam* perlati sunt. Illic quarto post die admissi
 ad paucorum Consulium Senatorumque colloquium, post reciproca
 salutandi resalutandique officia, quæ ipsis à Rege præcepta adtulere in
 medium. Quibus auditis responsum est; Quia Consulium Senato-
 rumque pauci adsint, exigere ab ipsis gravitatem negotiorum, ut ac-
 citis etiam cæteris in consilium, voluntatem Regis aperiant, junctisque
 consiliis dispiciant, quid ad proposita à Legatis responderi possit ac
 debeat. Quod responsum cum in plures dies differretur, nata est
 Legatis haud levis suspicio, quasi morâ quæreretur spatium de rebus
 ipsis exquirendi mentem Regis Daniæ, præcipuè cum non semel per
 suos quæri fecerint, an de rebus iisdem ad sensum Danici Regis Legati
 impe-

Legatio ad
Lubecenses.

d. 20. Nov.

impetraverint. Erat autem, post minoris momenti quædam, de quibus facile utrinque conventum est, Regiæ ad Lubecenses Legationis caput præcipuum, de intermittendâ aliquantisper navigatione Narvicâ, donec æquis rationibus Rex pacare posset Moschum, bello impiè deposcentem Regis conjugem, communium liberorum Matrem, non sine divini humanique juris temeratione ipsi promissam ab Erico, dum Regno adhuc præfuit. Cumque justissimo jure Moscho negaretur res, quæ sine extremo scelere nec à marito Rege dedi, nec ab exposcente Magno Duce poterat teneri, confestim omni genere crudelitatis sævit, non tantum in Livoniam, malentem jam Sveci quam Moschi agnoscere imperium, sed eidem quoque contiguas Svecici jam juris terras, primum Æstiorum, quorum caput Revaliam in octavum, mensem obfederat, dein Fennorum, quos non unâ clade afflixerat, Legatos insuper Regis, fide publicâ admissos, præter fas gentium, non etiam nunc tantum detinens, sed malè etiam multans, ex veteri moris barbari ferociâ. Ad quam retundendam, aut saltem non fovendam, cum primis visum utile, ut vicini populi, nec arma, nec commeatum, per mare Narvam Moscho adferrent, tantisper, donec pace bellum posset fisci. Quam æquitatem Rex Sveciæ sperabat ab omnibus vicinis Rebus publicis & populis, à Lubecensi autem tantò magis, quantò arciori vinculo amoris ac benevolentiae Sveciæ urbem hanc recens Stetinensis transactio religaverat. Cujus inter plures hæc lex vel prima est, ut reconciliatis jam utrinque animis, firma fidaque pax colatur, atque pars utraque alterius commoda, decus ac salutem, quibus honestè potest rationibus, enixè tueatur. Non tueri autem, qui hostes quocunque modo instruat copiâ rerum, quibus aut impediri pacem, aut trahi bellum, minimè dubium sit. Quin in dictâ Pacificatione, cum viri ab omni parte prudentissimi, quorum mediâ operâ tum pax coaluit, agnoscerent, præcipuam ei bello causam natam, ex promiscuo armorum merciumque per Narvam illatu in Muschoviam, liberam quidem cum Moscho Danis & Lubecensibus superesse voluerunt mercium eò ferendarum facultatem, quibus institorum tabernæ instrui, & nepotari volentium luxus ali posset, non verò armari manus militantium. Atque ne in posterum id fieret, jus fasque esse voluerunt Cæsari, cum Regum Principumque Christianorum scitu adfensuque, modum eum statuere huic eò navigandi commercandique studio, qui per

mer-

mercatorum avaritiam, in rei Christianæ fraudem minimè cederet. Quæ omnia cum in recenti illâ fancitæ pacis formulâ haberentur, tantò majore fiduciâ petiit Rex navigationem illam aliquantisper suspendi, quantò testatorem sperabat in se nunc existuram Lubecensium, non verbis tantum promissam, sed sacramento etiam codicillisque solemnibus nuper firmatam amicitiam. Sed scripto Legatis traditum, sub initium mensis sequentis, Senatus responsum, ostendit, plus apud ipsos valuisse veterum offensarum memoriam, quam recentis benevolentia fancitam legem, negantes fieri posse, ut suis hoc modo præclusâ suas res augendi potestate, civium se exponant odiis. Et cum non leniri tantum, sed vitari etiam penitus ea posse contenderent Legati, probè civibus exposito habitu præsentis temporis ac rerum, atque lucra ex intermissâ ad tempus exiguum navigatione Narvicâ decedentia, rependi majoribus ex benevolentia benignitateque Regis adversus eosdem exercituros mercimonia per Sveciam, eo nihil obtinuerunt aliud, quam ut in his gratificandi studium omne palam abnuerent. Contendentes, permisso ejus quod petierant, derogari libertati navigationum commerciorumque, quæ urbi suæ competierat inde à pluribus quam credi queat retrò seculis. Sic redigi cives suos ad rerum omnium penuriam, ut nec se suosque queant alere, nec Magistratui ad defendendam Rempublicam necessaria tributa ac vectigalia solvere. Sic denique fame compelli, ut desertâ urbe ad Moschum transeant, lucrandi que panis causa doceant rationem vicinos impugnandi meliorem, quam secutus sit hætenus, unde rei Christianæ proximisque accolis majus creari possit periculum, quam ex permisis cum eodem commerciiis. Quum iis interceptis, non tam frangatur quam exacerbetur in vicinos intercipientes, ferox trucidis Domini animus, fierique tandem metus sit, ut sedato bello, proximis quibusque in perpetuum interdicat omnem cum suis commercandi usum, quo carere illi non poterunt, sine maximo rerum suarum detrimento, atque haud dubio tandem interitu. Adhæc, Moscho propinquantium populorum vires, quibus ejus imperium coerceret intra veteres terminos, præcipuè consistunt in opibus quæsitis maritimo commercio: Hoc si sustuleris, aut ad tempus inhibueris, brevi ipsos feceris ad ferociæ ejus resistendum invalidos, dominationique proferendæ viam straveris. Harum rationum intuitu, ajunt, petente hodierno Duce Curlandiæ, pridem Ma-

gistro Ordinis Teutonici per Livoniam, ut Germanici Imperii civibus interdiceretur usu navigationis Narvicæ: responsum fuit à gloriosæ memoriæ Ferdinando Cæsare; ob bella quæ Duei sint cum Moscho, bellique metum, prohiberi non posse ad maritimas urbes cum ipso mercimonia, cum sic reddantur cives inhabiles, ad portanda Rebus publicis ipsique Imperio fulciendo necessaria onera: addente, sequi se malle exemplum invicti fratris Caroli, qui ferventibus adversus Gallos Turcosque bellorum studiis, civibus vetari noluit vices permutandarum mercium. Sic tum visum summis illis orbis Christiani non protritæ sapientiæ capitibus. E diverso, cum ante paucos jam annos, persuasum esset hodierno Cæsari, non parum conducere, ad liberandam à sævo Moschorum incurfu Livoniam, propinquorum Principum inhibitam cum ipsis commercandi consuetudinem, placuit à nostrâ urbe fieri initium, ut ipsa abstinente, ceteræ remotiores abstinerent eò promptius. Sed factum est brevi tempore, ut nobis piè obsequentibus mandato Cæsaris, remotiorum Regnorum cives, majore quam unquam ante navium numero Narvam adierint, venalesque, & à Lubecensibus sibi creditas, & aliundè petitas, merces exposuerint, receptisque Russicis, & debita Lubecensibus exsolverint, & cum derisu interverfoque lucro credentium, se suosque insigniter locupletaverint. Quo cognito, Cæsar desistens inhibendi proposito, ipsis indulfit, ubicunque liberet, merces per mare circumferendi divendendique libertatem pristinam. Tandem, adjiciunt, si omnes & Oceano & Balthi adsidentes populi, Narvicæ negotiationi renunciarent, nihilo eo magis consultum foret securitati Sveciæ adversus Russiam quam hætenus; quum, ut cunctis notum, Narvica cum Ruthenis negotia, dudum traduci cœperint, & propè in dies traducantur magis, percurso Norvegico glacialique Oceano, & Albi Maris littori imposita oppida Sanctorum Nicolai & Michaëlis Archangeli. Ad quæ loca ingens navium numerus ab omni Europæ parte commean, quotannis non tantum merces remolliendis animis, sed omnis etiam generis ferramenta feritati armandæ nata perfert, multò majore cum Sveci aliorumque periculo ac damno, quia non in Oceano ut Balthico visitatores multi, qui cum pernicie vicinorum allata invisant ac intercipient. Ex quibus liquere arbitrabantur, frustra exigi à Lubecensibus intermissionem navigationis Narvicæ, nisi prius omnes ad Balthen Oceanumque positi populi in eandem consenserint.

rint. Hæc Lubecenses. Quæ cum speciem quam vim majorem habere Legati prudenter animadverterent, negarique quæ petierant viderent, magis ut per Moschum attererentur vires Sveonum, quam quod ferio sentirent Lubecenses, ad sensum in rem petitam suis commodis multum decedere; ne victi rationibus conticuisse viderentur, contrario scripto allatorum pleraque diluerunt ferè in modum qui sequitur. Sperasse se, acquieturum fuisse urbis senatum his, quæ ad monstrandam æquitatem petitionis Regiæ, prius adduxerant: videre autem nunc varia adversus illa oggeri, ob quæ negent morem geri posse Regis desiderio. Inter quæ præcipuum quod deroget libertati commerciorum, urbi suæ per plura retrò secula quam credi facile possit competenti, civesque redigat ad extremam inopiam, per quam nec se alere, nec fulciendæ Reipublicæ necessaria onera queant sustinere. Non videre verò se, adversari hanc petitionem libertati navigationum quam usurpârant hactenus, cum non abolitam cupiant, sed dilatam, non in longum, sed breve tantum tempus, donec componi cum hoste pax possit: quod sperare convenit, tantò fieri posse citius, quantò opis externæ minus ab ipsis populisque aliis Russi habuerint. Nec tanquam res æquas æquis iudicibus unquam probabit Senatus, prætensæ libertatis usum cum vicini amicique Regis prægravi injuriâ, & per damna aliena suas res augendi crudele studium. Quid enim aliud est pertinax illa voluntas Moschum instruendi rerum bello necessarium copiâ? In hoc sanè studio pergere cives urbis, tantò in Sveciam fuerit iniquius, quantò majorem, si verum pati poterint, cujus tenent, opulentia partem, bonitati ejus debent ex vero, per indultam, etiam ab eâ, ipsis negotiandi facultatem liberam. Cujus in ipsos benignitatem, si remunerandam ducant talibus officiis, quid futurum censebunt aliud, quam ut Sveonum periculo damnoque sapientiores redditu Angli, Dani, Norvegi, aliique, sua indebitè ab ipsis diu usurpata beneficia repetant, recidereque faciant eorum urbem ad prima sui ortus initia. Certè, illa magis timere conveniet, quam quod narrant prohibendorum commerciorum vanum fulmen à Russiâ. Nec putare convenit, beneficium esse solorum Cæsarum, quod classibus liberè percurserint omne hoc mare, quod ipsi circumpositæque gentes universæ, suâ lingvâ vocant *Die Ost-See* / quasi Orientale dixeris, quod nullis nisi Svecis Gothisque ad æstivi solis ortum vergit, manifesto argumento, primos vetu-

stiffimosque fuisse eos hujus maris Dominos, cui, quod ipsorum ad ortum littora lavet, etiam orientalis nomen olim imposuerant, per antiquam mirisque modis etiamnum consentiente confessione tot gentium. Certè, multis seculis prius, quam è suis paludibus emergeret, aut per mare hoc mercandi usum habere occiperet Lubeca, ævo Taciti, teste ipso, hoc est, seculo post CHRISTUM natum primo, Svionum gens, viris & classibus hic valuit. Imò, quo tempore adhuc circa cunas suas Lubeca vagiit, vicinorum Principum flagellis lacerata usque ad medullam ossium, Sveonum, Fennorumque, Sveonibus etiam tum parentium, indemnitati per commercia vicinorum ad terras Russicas, scilicet anno salutis millesimo ducentesimo vigesimo, unà cum purpuratorum Patrum Collegio, in hunc modum cavendum censuit Papa Honorius Tertius. Honorius Episcopus, servus servorum DEI, Venerabili Fratri ... Aboënsi Episcopo salutem & benedictionem Apostolicam. Cum, sicut ex literis venerabilis fratris nostri ... Upsalensis Archiepiscopi nostro est Apostolatu referatum, ecclesia tibi commissa de novo ad agnitionem venerit veritatis, & à circumadjacentibus Barbaris nationibus, quæ plantationem novellam eradicare nituntur, tribulationes multas sustineat & pressuras, ac earum sævitia ex subtractione mercimonii possit non modicum cohiberi, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut Christianos circum manentes, ne ad eos navigent, & victualia seu alia necessaria deferant, monitione præmissa, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remotâ, compescas. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis DEI, & Beatorum Petri ac Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani Idibus Januarii, Pontificatus nostri anno quinto. Censuit Pontifex, multò quam Senatus & qui cum eo faciunt aliter, non armorum tantum, sed esculentorum etiam illatione, ali ferociam Fennis inimicarum gentium, è quarum numero Russi intelligendi fuisse tum vel soli vel præcipui. Errantque haud dubiè vehementer, qui auri, argenti, salis, vini, panni, halecum, similibusque rerum usum nullum esse putant in bellis: cum sine talium allatu, intra paucos annos, ceræ, sebi, cannabis, pretiosarum pellium, similibusque mercium, quibus abundat, immensos cumulos sibi coacervatura sit Russia, nulli futuros

futuros ipsi usui, nisi ut vetustate corrupti pabulo sint tinearum, blattarum teredinumque infestis agminibus. Frustra verò dicitur brevis intermissio negotiationis Narvicæ redactura urbem ad extremam egestatem, cum divitiæ ejus è solâ non petantur Russiâ, & quæ inde adduci solent, haberi possint è viciniore Revalia. Ut nihili prorsus sint omnia illa, quæ dicere libuit de fame vulgi deserturi urbem, transitureque ad Moschos, communicatum belli ignotas artes, quibus vicinos majore successu opprimant. Nihil de famis inopiæ metu, ob Regi promissam expetitæ rei intermissionem, opibus Lubecâ minores, benevolentia in Svecos superiores Stralesunda, Gryphisvaldia, Vismaria, attulerunt. Communicatio artium belli, impulsu famis ad Moschos transiture vulgi, ne in mentem quidem eis venerat. Et nautarum quidem remigumque vulgus, artium belli expers, nesciet; patriciarum gentium quisquam, nisi cui solus Lucrus Deus sit, nolet eo se scelere fœdare, & CHRISTUM purius profitentium pium gregem convellere. Ridiculus verò metus est, timentium ne Moschus intercepto usu peregrinarum mercium, irâ percitus, omne interdicturus sit vicinis cum suo populo commercium; quasi non æquè ipse compellente necessitate alienas, ac alii ejus opes, expetat, aut magis ipse externis, quam exteri, quibus ipse domi abundat, rebus carere queat. Ebullet Moscho ira subtractis mercimoniis. Mox defervescet dolore penuriæ. Brevis enim ira expers virium. Et rerum usus docuit, inopiâ modestos, insolentes reddi mortales copiâ. Quod verò dicitur, invalidas futuras ad resistendum Moscho gentes proximas, nisi opes eis fas augere frequentatis cum ipso mercimoniis, videndum cujus sit roboris. Proximi Moscho undique sunt Sveones, quibus Fenni adjunguntur, Livoni, Poloni, Tartari, Turci. De postremis duobus non erimus solliciti. Sive enim illi imbecilles, sive in Moschos validi, nihil illis accedet decedente virium ex nostri maris commerciis. Ut nec Polonis, quibus nulli in hoc mari portus sunt, nisi Prussiam ipsorum Regno accensus. Superfunt itaque ex reliquis Livoni & Sveci: quorum illi ita terrarum opumque exilitate sunt debiles, ut adversus exsuperans robur Moschi prævalituros spes sit tantò minor, quanto & Lubecensium, fatentibus ipsis, & reliquorum è viciniâ cum Moscho frequentiora commercandi studia. Lubeca, ut territorium nullum habet Moschorum Regno contiguum, ita nec ulla controversias finium, ideoque nec ullum us-

quam ejus adparuit studium, intra veteres versus plagam hanc nostram terminos cohibendi ipsorum imperii. Soli itaque Sveci sunt, cum sibi adtributis populis, qui Moschi vires Balthici maris accolis formidabiles, & cohibere possunt, & omni ævo gnaviter cohibuerant. Sub horum umbrâ, cæteris frui bonis suis securè per multa retrò secula contigerat. Quos qui nunc debilitatum eunt augendo vires Moschi allatu rerum quas optat ex oris remotioribus ac proximis, videant, quam gratiam referant publicis antiquisque jam suæ aliorumque, non incolunitatis tantum, sed felicitatis quoque propugnatoribus. Videant quoque, an infirmatis Svecis, quos tanquam murum habitandi fors objecerat immani hujus crudelitati ac ferociæ, suæ alienæque securitati in posterum consulant. Et profligatis Svecis, numquid vim hujus procurrentem ad proximos compescet sola Lubecensium potentia? Sed quoniam quæ in his oris urbis Lubecensis natalem antecefferant, hodierno ejus senatui minus forsitan sunt cognita, æquis animis audiat strictim sibi narrari aliqua fusius memorata præcis Scandianorum annalibus. Seculo post natam orbi veram salutem nono, cum Curlandiam aliasque Germanici hodie littoris terras in ditione suâ tenerent Sveci Gothique, ut eas quietiores à ferarum in proximo gentium incursum tenerent, in intimo recessu hujus maris constitutos opibusque suis firmatos habuerunt Regulos sui sanguinis, quorum quia sedes in proximis littori insulis erat, prolatumque Regnum in vicinam insulis terram, occupatam postea à Moschis, Holmgardici vocantur in antiquis nostri orbis historiis. Per hos Svecia diu submovit Moschos aliosque ab infestando mari Balthico. Inter quos serie continuâ floruerunt in finem seculi duodecimi Jarislaus Valdemari ejus nominis primi Holmgardici Regis filius, maritus Ingerdæ Olavi Skotkonungi Sveonum Regis filia. Post hunc filius Jarislai Valdemarus Secundus, cui uxor Gyda filia Haraldi Regis Angliæ. Hinc hujus Valdemari filius Haraldus, cui conjunx Christina filia Ingonis, neptis Stenchilli Regum Sveciæ. Tandem filius Haraldi Valdemarus Tertius, cui confors thori Sophia Bogislai Crivousti Polonici Regis filia, quæ marito hoc mortuo, nupsit Magno Daniæ Regi, Nicolai itidem Danici Regis filio. Sed eo in Fotewiik apud Scanos anno CHRISTI M. C. XXXV. cæso, tertio matrimonio juncta est Sverconi Seniori Regi Sveciæ. Hæc Sophia genuit ex marito primo Rege Holmgardiæ cognominem sibi

filiam,

filiam, elocatum Valdemaro Primo ejus nominis Regi Danico, quo fe-
rè tempore Lubeca primum conditur. His florentibus Sveticis Holm-
gardicisque Regibus, vis omnis Moschorum intra remotos ab hoc mari
fines coërcita est. Post quos, accessu Germanicæ in Livoniam coloniæ,
unde primum Germanicis Casaribus natum jus in eam provinciam,
laborantibus Svecis malo Civilis discordiæ, sublatum est Regnum
Holmgardiæ, processitque ad nostri maris littus rabies Moschica, ex
eo tempore non semel in Sveciam gravem tempestatem exciens, quâ
duodecimi seculi anno septimo supra octuagesimum; Sigtunienfis
urbs, Johannesque Upsaliensis Archiepiscopus in Almarnastæk periere,
ut de datis acceptisque utrinque cladibus aliis nihil hic dicamus am-
plius, ad quas avertendas adhuc superest aliquantò ante data Alexandri
Tertii epistola, cujus quæ rem præsentem concernunt præcipua sic se
habent. Alexander Episcopus, servus servorum DEI, dilectis in
CHRISTO filiis, Regibus & Principibus, & aliis CHRISTI
fidelibus, per regna Sveonum, Gothorum, Danorum & Norvegien-
sium constitutis salutem & Apostolicam benedictionem. Non pa-
rum animus noster affligitur, & amaritudine non modicâ & dolore
torquetur, cum feritatem Estonum & aliorum paganorum illarum
partium, adversus DEI fideles & Christianæ fidei cultores gravius
insurgere & immaniter debacchari audimus, & Christiani nominis
impugnare virtutem. Unde quia expedit officio nostro, ea quæ ad
corroborationem fidei, & animarum vestrarum noscuntur pertine-
re salutem, vobis sollicitâ exhortatione suggerere, & studiosius sva-
dere, universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino,
quatenus armis cœlestibus præmuniti, & Apostolicis exhortationi-
bus confirmati, ad defendendam Christianæ fidei veritatem, spiritu
fortitudinis accingamini, taliter in brachio forti ad propagandam
Christiani nominis religionem intendentes, ut victoriam de inimicis
possitis consequi, & coronam justitiæ, quæ vobis reposita est, patran-
te Domino, adipisci. Nos enim eis, qui adversus sapè dictos paga-
nos potenter & magnanimiter decertaverint, de peccatis suis, de qui-
bus confessi fuerint, & pœnitentiam acceperint, remissionem unius
anni, confisi de misericordia DEI, & meritis Apostolorum Petri &
Pauli, concedimus, sicut his qui sepulcrum Dominicum visitant, con-
cedere consuevimus. Illis autem qui in conflictu illo decesserint,
omnium

" omnium fuorum, si pœnitentiam acceperint, remissionem indulgē-
 " mus peccatorum. Datum Tuscul. 3. Idus Septembris. Hæc ali-
 quantò plenius adduxisse è re visum, ut si qvi Germanici Cæsares justo
 plus faciles fuisse deprehendantur ad permittendas cum Russis permu-
 tationes mercium, in damnum horum qvi CHRISTUM sincerius
 amplexi sunt, adpareat, non improbâsse tantum id Romanam curiam,
 sed pœnâ anathematis multâsse etiam, cujus sententiæ assurrectionam
 curiam Cæsarum, quæ ipforum est religio, haud debet ambigi. Quod
 verò dictum est, allaboraturum Regem Sveonum, ut à proposito adse-
 rendi Moscho merces prius dimoveat populos alios quam Lubecenses,
 quibus id agere cessantibus, non cessaturi mox alii, ut recenti exemplo
 constituisse memorant. Non hic quæritur, quid factum sit ab aliis, sed
 quid fieri æqvitati juriqve gentium saltem paulò humaniorum sit con-
 venientius. Et si alii petitioni Regiæ locum dare præter fas renuent,
 tantò iniquius id facturi Lubecenses, quantò quam alii propiore Regi
 juncti sunt nexu fœderatæ amicitæ, & quantò per opportunitatem
 situs allatu mercium hostibus Regis subvenire possunt facilius. Per
 animi autem alienationem, nullâ justâ causa subnixam, amicorum, aut
 saltem non lædentium populorum hostibus quocunqve modo opem
 ferre, hostile est. A quo inimico proposito, jam ante Rex dimoverat,
 ut modò innuebamus, quasdam mari huic adpositas urbes alias, quæ
 quo Lubecenses jure tueri libertatem navigationis poterant, amore
 autem justitiæ petitioni non injuste refragari non poterant. Ita enim
 commodis studere par est civitatis ejus, in quâ peculiaris juris vinculo
 sociati degimus, ut majorem illam hominum cum hominibus, & quod
 plus est, Christianorum cum Christianis, constipatam glutine amoris
 ac benevolentæ, non dissolvamus evertamusqve adeò. Quod obje-
 ctum est, impeditâ navigatione Narvicâ, circumeundo Norvegiam al-
 laturus mercatores Moscho necessaria ad Albi maris littora, tanto
 certiore Sveonum damno, quanto in illis quam his partibus minus in-
 hiberi possint res ipsis noxiæ, Id prope nihili est. Nam illac ituri, &
 tempore indigent longiore, & tempestatibus possunt obrui, & cursu
 secundo allata, per tot terrarum spatia, itinere lacubus, fluminibus
 saltibusqve impeditissimo mox deferri non poterunt ad fines Sveci-
 cos: quâ morâ non rarò hosti corrumpetur rei gerendæ occasio.
 Quæ verò Lubecâ adferuntur, tantò majus Svecis periculum creant,
 quantò

quantò hosti ad nocendum propiùs ad manum sunt. Ad quæ avertenda à suis mala, si aliter non datur, vi justâ, suorum salutis cupidissimus Rex, quorumvis repellat injuriam. Quoniam verò agrè visura est Regia Majestas, quemquam, cujuscunqve gentis sit, damno affici, hinc ipsos se ad plerosqve Europæ Reges ac Populos missos Legati aiebant, rogatum, ne, durante hoc bello, quid tale fiat, simulqve denunciatum, si adversus præmonitionem per ipsos factam fiat, futurum id cum facientium periculo ac damno, ad quod resarciendum, se nullo pacto teneri volet, cum nihil aliud quæsitum eat, quam ut, more Christiano, consuetudineqve passim usurpatâ omni ævo cultissimis populis, indemnus sit, suosqve extra periculum constituat. His ad rationes Senatus responsis, spatium ille petit, pro ubertate gravitateqve rerum, de eis ulterius agendi cum communitate civium. Cujus sententiam cum nisi post plures dies se habiturum diffideret, sciretqve Regios Legatos discessui suo destinâsse diem proximum, qui esset ineuntis Decembris secundus, decernit, exquisitâ mente populi, sententiam suam ejusqve scripto consignatam cum nuncio peculiari missurum in Sveciam. In hunc modum disceptatis utrinque rebus, cum negotium non posset confici, rogatu Saxonici Ducis Magni III, cui conjunx Sophia Regis soror, ad ipsum descendunt in inferiorem Saxoniam. Illic perquisitis omnibus, & cætera Ducis non satis benè composita deprehenderunt, & fraternâ sic vexari discordiâ, ut exitus difficilimos habitura viderentur. Brevi tamen perducta eò sunt Legatorum prudentiâ, ut pro habitu negotiorum Buchæ sedatis fratrum dissidiis, solemni sacramento in fidem ditionemqve Ducis civium ordines concesserint. His peractis, Legatio ad Hamburgum eunt, obtentoqve amoris plenissimo responso Senatus, Hamburgenses. de intermittendis ad tempus negotiationibus Narvicis, & hujus, & aliarum aliquot Hanseaticarum in idem consentientium urbium civibus, intercepta in itinere Narvico bona, datis ad Regem commendatiis literis, procurârunt restitui. Hinc Ahusium diverterunt ad Legatio ad Episcopum Monasteriensem. Johannem Monasteriensem Episcopum, dioecesum Osnabruggenfis & Paderbornensis Administratorem, natum Hojæ & Bruchusii Comitem, Gustavi Primi Regis sororis filium. Exhibitis, ut vocant, fidei literis, expletisqve salutandi ac resalutandi officii, à Rege sibi commissa negotia expromunt Legati. Primum, quoniam ex causis injustissimis Fennos Livonosqve Muschoviæ Dux, non more gentium prius indicto

E bello,

bello, sed ex improvise adortus, Legatosque ad ipsum Regios, impetratis ritè non interpellandi itus reditusque literis, in tertium annum detinens, adegerat Regem ad depellendas armis injurias, ne suis oppressis civibus, fortior ferociorque transfret ad proximos, etiam Germanico Imperio subditos, atque ad compescendam tam sævi hostis rabiem externo milite indigeat, peramanter rogare ajunt Regem, ut liceat ipsi in terris ac ditionibus Episcopi, ære suo militem conducere. Dein, quamvis Rex Daniæ, & urbs Lubecensis, in ita nuper pace, amorem benevolentiamque Sveciæ sint polliciti, eam tamen experiri cogitur perexiguam, cum rogati diligentissimè, intermittere nolint cum Russis, bello durante, solita aliàs mercimonia: quibus quum adeò roboretur hostis, permitti ea hoc tempore libera, Sveciæ fuerit non grave tantum, sed etiam exitiabile. Veretur insuper, illis inhibitis, versisque viribus regni adversus vim Moschicam, ne aut illi, aut ob eandem causam populi alii, hostile quid in Sveciæ partes alias moliantur. Quod si præter spem à quoquam usquam agi Episcopus præsentisceret, rogabat Rex, ut pro sanguinis mutuique amoris nexu, maturè id indicare, & periculo avertendo utilia consilia suggerere vellet. Adhæc, siquidem omnes perspicere putabat Rex, quam negotiatio Narvica, flagrante cum Russis bello, Sveciæ sit exitiosa, ideò in pacificatione Stetinesi, per suos id omni egit studio, ut, sicut olim in usu fuerat, ita etiam posthac eadem Viburgi & Revaliæ frequentaretur, ubi melius inquiri posset in merces Moscho adferri vetitas, quam Narvæ, ubi mercantium vulgus omnia agit ex arbitrio nutuque hostium, non attendentes, quam id cedat, non in Sveonum tantum, sed aliorum quoque Christianorum Regum ac populorum detrimentum. Cum autem ex pertinaciâ quorundam, patris Stetinesibus infereretur decretum, de mansurâ Lubecensibus liberâ navigatione Narvicâ quovis tempore, belli tempore duntaxat interdicto allatu armorum, & rerum eò pertinentium, non neglexerunt Legati Svecici cum Cæsareis agere, excipereque casum vigentis inter Svecos Moschosque belli, quo integrum semper foret Svecis, ad frangendam impetentis Moschi feritatem, interceptu mercimoniorum, & quocumque fieri potest modo alio, ad æquas condiciones pacis eos cogere; quod Cæsareis Legatis visum non tantum justum, sed ipsorum etiam tum adprobatum calculo, licet id totidem verbis non insertum visatur pactorum formulæ, iis tantum illic verbis exstantibus, quæ Cæsari reservatam

servatam velint potestatem liberam, Narvicis commerciis præscribendi modum eum, qui Christianis in viciniâ Principibus ac Populis minimè futurus sit gravis aut noxius. Quæ verba, ut tum persuasum omnibus, eundem ex se paritura erant sensum, confirmatum lege pactorum primâ, quæ jubet in posterum ita sinceram esse inter partes reconciliatas gratiam, ut unaquæque alterius non minus quam suam cupiat ac promoveat verbo opereque ipso, quoad fieri potest, salutem & comoda. Ista, & multa alia, æquitatem regis petitionis roborantia, & cæteris ad Balthicum Oceanum urbibus ac populis, & Lubecensibus præcipuè, monstrata sunt diligenter ac copiosè; quibus, ut æquitati consentaneis annuerant reliqui omnes, soli verò Lubecenses, freti societate Danica, eis adsentiri noluerant, immemores, prudenter olim inter Anseatici foederis socios, non semel vetita in fraudem vicinorum Christianularum hujus generis cum Moscho commercia. Cum hæc ita se haberent, peramanter rogârunt nomine Regis, ut maturè, pro insigni prudentiâ, expensis omnibus, amicè velit Episcopus Princeps significare, quibus modis viisque existimet cæteris Christianis noxiam hanc navigationem posse impediri. Præterea amanter exquisivit Rex Consobrini Principis consilium de causâ Livonicâ, ne pro infinitis in hanc provinciam, Revaliensem verò urbem præcipuè, à se suoque Regno factis sumptibus, impensoque sanguine tot millium è suis civibus, quibus habitatores terræ ab immani Moschi tyrannide perpetuaque servitute adseruerat, nihil habeat redhostimenti loco, nisi tristem sumptuum damnorumque memoriam. Postea, licet longè aliter quam antecessor Rex Ericus, qui plurimos Regno excitavit hostes, inde à primis regni initiis operam dederit quam plurimos Regno amicos conciliare, eoque proposito, connixus sit vicinos Reges omnes ac Principes amore sibi habere conjunctissimos, cogatur tamen experiri parum in se suosque benignam voluntatem Ducis Albani, qui Regis Hispanici nomine Rector est inferioris Belgii, qui editis diplomatibus, bona civium Regni Sveciæ in Belgio detineri præceperat, propterea quod Ericus Rex, naves civium aliquot Hispanicorum è Belgio, hostibus ejus Dano & Lubecensibus adferentium necessaria, interceperit, atque in suos aliorumque usus converterit, quod Regi eò accidit gravius, quò sanctius sibi semper colendam duxerit veterem cum Hispaniarum Regibus non uno fœdere stabilitam amicitiam. Præstare autem culpam

Erici Regis, tantò ei videri durius, quantò atrociora ab eodem etiam ipse passus sit, non nisi DEI benignitate è mortis ab ipso ei intentatæ faucibus ereptus. Certum quidem, coram Rege questos nonnullos Belgas, de ereptis sibi per Ericum Regem ejusque emissarios navibus & mercibus, de quibus promiserat, pacato Regni statu, inquisitionum se quam diligentissimè. Sperare autem eam à læsis æquitate, ne accepta per fratrem damna sibi imputent, aut luendas à se existiment pœnas, ob aliena, si quæ sint, facinora. Pollicitum se, servaturumque, pace quieteque restitutâ Regno, talem se præbiturum adversus exterorum Principum cives, ne quisquam jure queri possit, Christiani Principis officium se neglexisse uspiam. Hæc his, qui de injuriis Erici questum venerant, dudum responderat Rex, & propediem per præsentem Legatos Regi Hispaniarum Ducique Albano significanda decreverat. Rogat autem Episcopum Principem consanguineum, ut suis literis apud Albanum Ducem, cum quo ipsi haud dubia necessitudo est, commendare velit causam Regis, & alienatum Ducis animum revocare ad officia priorum foederum legibus consentanea. Dux idem Albanus, nescire se ajunt Legati ob quas causas, bellum interminatus est Christophoro Badensi Marchioni, & Edzardo Comiti Ostfrisiæ, ad finibus Regis Sveciæ, qui rogat peramanter, ut Episcopus, pro conjunctione propinquâ sanguinis, operas suas benigne adhibere velit, ne inde in terras & cives adfinium fororumque, mala aliqua tempestas ingruat. Tandem Episcopo exhibuerunt latinè vulgatas causas exautorationis Erici Regis, monstrantes, quam non ex regnandi cupidine, sed sui regnique servandi amore, in fratris ab omnibus destituti locum surrogari se passus sit: additâ prece, ut benignè, etiam in his, suppeditare velit consilia, stabilitura Regni, Regis, Regiæque sobolis salutem ac commoda. Ad illa respondit Episcopus. Primum quidem, de conducendo adversus Moschum in ejus terris milite. Non esse id in potestate suâ, sine scitu permissuque Cæsaris. Nihil quidem accidere sibi gratius, quam posse se in aliquo Regi quid gratum facere. Obstare autem in hoc negotio suæ in Regem pronæ voluntati Decretum recens Imperii, quo id vetatur fieri, sine peculiari induktu Cæsaris, præstitaque cautione, non futurum id fraudi Imperio. Simul prolatum excerptum è dicto Decreto, unde res facta liquidior. Se verò non dubitare, dicebat Episcopus, ad sensurum Cæsarem, si quid tale

Rex illic peteret, tantò libentius, quantò utilius est, submoveri eum hostem à finibus Imperii Christianorumque Principum quam longissimè. Quod verò expetierat Rex consilium Episcopi in quibusdam rebus, de quibus Legati dixerant, respondit; Eam esse prudentiam Serenissimi Regis, ut nihil ei consiliis suis vel datis possit addi, vel subtractis adimi; ideoque tantò verecundiùs consulendi munus in se recipere, quantò plura scit nescire se in iis negotiis undè prudenter in rem possit consuli. Adhæc, si consulat, videri rem arrogantia, quasi docere velit Principem doctrinae cultu usque rerum subactissimum: Si non consulat, insimulari posse livoris, quasi amico cognatoque Regi salubre consilium invideat. Ut verò scit alienum se ab utraque hac labe, ita credit remotissimum Regem à voluntate sinistrè interpretandi ea, quæ ex simplice puroque animo profecta, ad testandam fuci ignaram benevolentiam unicè tenderent. Si è Germanicis terris adversus Moschum conducendus miles, petendum putaret potius è partibus ejus ad boream Sveciæ vicinioribus, tum quod cæli solique genio molitùs minus, & propior ad manum Regi, tum quod assuetior militiæ, quam degens sub Principibus Ecclesiasticis, quos ut bellare nolunt Canonnes, ita parum ad usum armorum cives adsvēfacere prudentium nemo mirabitur. Dein, quoniam molestiarum belli pertæsi putentur Sveones, cupereque pacem refecturam omnia, videri eam commodè haberi posse interposito ad finis Regis Poloniæ, aliorumque amicorum Principum. Ad abrogandam navigationem Narvicam, Legatis scripto consignata tradidit Episcopus ea, quæ nomine Regis per Ablegatos suos in novissimo Francofurtensi Conventu Deputatorum peti fecerat, & quæ responsi loco ab Ordinibus receperat. Nunc videri sibi è re esse, ut per suos, non minus apud Cæsarem, quam ceteros Principes & Populos, eâ navigatione uti solitos, agat, ut, quoniam non minus Germaniæ multas terras quam Sveciam ea res exponit periculo, Cæsar simul cum Rege curet apud Principes extra Germaniam, ut abrogetur, intra verò limites Germaniæ severè interdicit, ne quis, movente Moscho arma in Sveciam, vires ejus augeat allatis mercibus. Adjectis minis, qui spretis monitionibus Narvam petunt, imputaturos sibi, si quid patiantur ab his, in quorum damna nituntur impulsu avaritiæ, Livoniam atque in eâ Revaliam quod attinet, quoniam de iis motæ lites ita in Stetinensi transactione diremptæ sunt, ut sine controversiâ

ulteriore Sveciæ Revalia cessura sit, nihil in eâ re superesse difficultatis videtur, nisi ut illicò & sine morâ hujus rei confirmatio quærat per penes Cæsarem, quâ obtentâ, non videre se ait Episcopus, quid ad plenam & nusquam inturbandam possessionem ejus ultra possit requiri. Si quæ verò sit suspicio ex causa non levi, id à quoquam agi, ut Sveciæ subducta, Germanici Imperii corpori iterum adjungatur, eâque de re questum mittantur viri delecti ad Cæsarem, dubitare se ait minimè, facturum hunc ea, quæ causæ justitia requirat. Et cum negotium sit Regi, non tantum cum hoste potenti & vasto, sed ipsum etiam vergentis hoc mundi senium dolis utatur pro laqueis, foret forsitan haud inconsultum, non necessariorum tantum rerum copiâ, sed forti vigiliqve militum custodiâ Revaliensi urbi prospicere. Quod Regiæ causæ expetitam commendationem apud Albanum Ducem attinet, & quod eam juvari debere putent Legati, rejectâ culpâ interceptarum Belgis navium in abdicatum Regem Ericum, cujus exautorationis fuscè in vulgus editæ causæ simul ex scripto Duci debeant tradi, etsi non sibi sumat aliquid immutandum in mandatis à Rege traditis, videri tamen forsitan posset cuiquam acerbum, post compositas sopitasque domi lites, persanatosque ex plagis civilibus vibices, talium nimis ad vivum memoriam apud exteros refricare, præcipuè cum res Erici adhuc recentes etiam vulgo propè sint perviæ. Videri verò minus datum iræ, vindictæque tributum minus ex sensu doloris proprii, si quàm paucissimis memoretur ob hanc aliasque causas in eum sententia Ordinum, duriter imperanti abrogans Imperium, nec scriptum illud promatur, nisi ad rogatum alicujus seorsim, qui rem cupiat pernoscere. Euntibus autem ad Albæ Ducem Legatis ipsis, haud dubiè futuram necessariam minus commendationem suam arbitrabatur Episcopus. Quicquid enim offensæ inter Regem Ducemque esset, manare illud aiebat, non ex atroci in famam alterutrius vulnere, qualia sanari haud solent ita facile, sed ex injuriâ, ut multi censent, non injuriâ, interceptarum navium ad hostes commeanantium, quibus benignè redditus, consolidari iterum poterit visus prope solutus nexus amicitia. Sanè ad hunc reconcinnandum, non potest non plus tribuere Regia Legatio, quàm amici per literas privata sollicitatio. Quæ spe si contra spem se falsum per literas Regis Episcopus cognosceret, confestim non defuturum officio suo in Regem, scribendis eâ de re ad Ducem literis, pollicebatur. Quod spe-

stat metum futuri à Duce belli in Marchionem Christophorum, non
 cernere ait Episcopus se ullum ejus rei vel vero simile indicium. Cum
 Serenissimum Hispaniarum Regem, aut Albæ Ducem, quoquam pacto
 læsum ab ipso usquam dictum non commemorerit, ac nec Legati ipsi
 causam assignare queant idoneam. Si secus quam spes est, aliquid in
 eum agi apparuerit, rogari justum esse censuit, ut Dux vi abstinens, co-
 gnitionem dijudicationemque rei aut Cæsari, aut delectis utrinque ar-
 bitris vigore legum submittat. Optandum, velle Ducem eidem infi-
 stere viæ adversus Comites Ostfrisiæ, quos certum est ipsum multisque
 modis apud Cæsarem universosque Imperii Ordines insimulasse male-
 volentiæ tergiversationisque in Regem Hispaniæ, lataque opis prædo-
 nibus, qui ditiones ejus infestârent in Belgio; unde inquisitio in rem
 per inspectionem locorum & examen testium, ex Decreto Cæsaris &
 Ordinum, dudum commissa fuerat Archiepiscopo Bremensi, sibi Epi-
 scopo, Duci Cliviæ, nonnullisque aliis è numero Imperii Procerum Ec-
 clesiasticorum ac Civilium. Se quidem libentissimè defugisse illud
 inquirendi munus, deprecatumque fuisse apud Cæsarem, sed seriò in-
 junctum denuò, sic ut illud declinare nequiverit. Quæ examine in-
 quisitioneque explorata fuere, ad Cæsarem perscripta sunt, cujus parem
 æquitati sententiam expectari convenit. E re videri esse, ut commu-
 nicatis cum utroque Comite consiliis, res legitimo submittatur judicio.
 Hæc ad proposita Episcopus. His absolutis, dimissi multo cum hono-
 re Legati, & proluxâ pollicitatione amoris officiique in Regem. Post
 paucorum dierum iter, circa ipsa novi anni initia, ad Comitem Ed-
 zardum, conjugemque ejus Catharinam, Regis Johannis Tertii sororem
 in Ostfrisiam veniunt. Causæ missæ ad eos legationis erant. Elapsi
 nuper anni die mensis Maji undecimâ, Comes ejusque conjunx scri-
 pserant, simulque miserant in Sveciam virum Reverendum Bernhar-
 dum Canuti filium, conquerentes, Johannem Comitem Ostfrisiæ, Ed-
 zardi fratrem, omni modo id agere, ut Comitatus Ostfrisius, hæcenus
 inde ab antiquissimis temporibus indivisus, unius tantum Domino sub-
 ditus, divideretur, & ipsum non minus quam fratrem domini imperii
 que participem admitteret. Adhæc, metuere se indicaverant, vim ali-
 quam sibi, terrisque suis ac liberis imminere à Duce Albano, Hispanici
 Regis vicario, Gubernatoreque summo in Belgicis provinciis, ob cau-
 sas, quas postmodum par erit attingere. Medio mox mense Julio re-
 scripsit

Anno 1572.
 d. 7. Jan. feqq.
 Legatio ad
 Frisios.

scripsit ad ista Rex, spem certam faciens, fore, ut curæ cordique sibi sit fororis, adfinis, communiumque ipsis liberorum salus ac incolunitas. Simul literas dedit ad Regem Hispaniæ, Ducem Albanum, Comitem Ostfrisiæ Johannem, ac Ordines ejusdem Comitatus, æquitatis singulos circa negotia jam dicta pro re natâ amanter serioque commonefaciens. Veritus autem, minorem inesse vim epistolis quam Legationibus, has illas subsequè re suâ suorumque esse censuit. Conveniendam autem primo ante alias terras urbesque loco Ostfrisiæ duxit, tum quod Legatis illac necessarium iter ad remotiores, tum quod oportebat ex Edzardo Comite penitiorum negotiorum apud Belgas Hispanosque cum successu agendorum peti notitiam, quum scripserit ad Regem Comes, multa esse in suis rebus, quæ calamo non ausit committere. Itaque nomine Regis decenter salutato Comite ejusque conjuge, exhibitisque pro more fidei, ut appellant, literis, narrant Legati, ut Rex per literas adierat Regem Hispaniæ, amicè fraterneque rogans, vetera inter ipsorum regna fœdera benignè velit renovata, & si requirat conditio temporum ac rerum, restricta ampliatave, vel illustrata etiam, si quâ parte obscurius concepta sint, idque per viros utrinque delectos cum necessariâ agendi potestate. Adhæc, ut significâret ipsorum Rex Regi eidem, natus, non suspensiones tantum, sed simultates etiam, inter Ducem Albanum, adfinemque suum Comitem Ostfrisiæ, rogans peramanter, providere pro suâ æquitate bonitateque velit Rex, ne quid inde oriatur mali, quo terris domiive adfinis quid gravius queat accidere. Et cum Legatis mandatum sit, de hoc ipso, & Domini Jeverensis negotio agere apud Regem Hispaniæ, Ducemque Albanum Rectorem Belgii, rogant enixè, ut omnia, etiam penitiora istarum rerum, illis velit patefacere, ut plenam nacti notitiam, cum spe successus possint de illis agere, atque diluere solidè, si quid obvertatur, quod suo juri officiat. Tandem, cum multa præter fas & æquum sciant passum Comitem à fratre suo Johanne, pollicentur benivolam sui Regis operam juvandi adfinem, aut commendatitiis ad Imperatorem literis, aut quocunque alio modo commodis ejus in hac re possit consuli. Eo nomine ipsis injunctum ajunt, agere cum Ostfrisiarum Ordinibus, officiique sui ipsos commonere in Comitem, cujus solius jussis obtemperare teaneantur ex veteri præscriptaque olim parendi formulâ. In his omnibus promptam Regis pollicentur operam, allaboraturi, ne quicquam negli-

negligatur, quo frater Sorori, ad finis ad fini fidem testetur ac benivolentiam. Comes præfatus aliqua de sua suorumque in benignissimum Regem animi gratitudine, de causa Albani Ducis ita disseruit. Dubium non esse, quin inter se domumque Burgundicam agitari dudum coeperint controversia. Dux enim Burgundique diu jam spem improbam ceperant captanda Ostfrisiam, nec semel Ostfrisius objecerant, quod prædonum naves suis receperint littoribus ac portubus, præfidiumque & alia ipsis necessaria, Hispanis damnosa, impertierint. Se verò sanctè adseverare, nihil se unquam cogitasse minus, quam talia agendo, Hispanorum Belgarumque in se iram provocare, quorum Ostfrisius contigua terra suas amplitudine, & ipsi se potentià longè exsuperent. Esset utique id certam sibi accersere perniciem. E diverso, exploratum sibi, fingi à Burgundis ista in se suosque Frisios, quorum terra, commoditate littorum, fluviorum ac portuum, ipsis sic diu arriperat, ut ante multos annos talibus commentis jus sibi aliquod in ipsas arrogare conati sint. Atque si quid inique in domum Burgundicam ipse sui que moliti sint, quod nunquam factum esse ipse scit quam optime; quum Majestas Cæsarea, ipsi sit supremi legitimi que in terris Magistratus loco, conveniret utique justitiæ, apud ipsam accusare fontem, si veris rationibus ullius convinci posset facinoris. Ejus enim est, non Albani Ducis, & quæ fiunt cognoscere, & quæ perperam fiunt, plectere. Quod verò de prædonibus prædonumque navibus oggeritur, liquet, non suarum esse virium, eorum colluvie terras suas alluens mare, portusve aut flumina, purgare, cum nec esse possit Albani Ducis, qui quam ipse multò opulentioribus præsit terris ac populis. Et nuper, cum in novissimis Spirensibus Comitibus, fusè disceptatum esset de effræni audaciâ prædonum in terris ac maribus Circuli Burgundici, nullæ idoneæ adferri poterant causæ, cur Imperii esset Germanici, horum furores comescere. Si non Imperii, quomodò Ostfrisiam, quæ quantum portio Imperii? Reperti etiam sunt in dictis Comitibus nonnulli Ordines Imperii, contententes, futuras in tuto res Albani Ducis, si ipse in tuto vitam & fortunas miserorum linqueret. Sed quam diu ei volupe, prætextu religionis, sacra profanis, summa imis miscere, mirandum non esse, nusquam quiescentem multorum exagitari inquietudine. Adparere igitur ex his, hujus generis insimulationibus gravari suam innocentiam, exigique à se, quæ mensuram excedunt suarum

virium. Qv̄i enim poterit sua Frisia, prædonum Hispanorumve vim, si ingruat, explodere? Sperare tamen se, si quid in suos tentet Dux, Majestatem Imperatoris, S. Romanum Imperium, Serenissimumque Regem Sveciæ, ad finem benignissimum, non permissuros, ut sua ipsi prædæ sint. Nec ignorasse se, ait, agitata nuper in suam Frisiam consilia, ex improvise invadendi eam pedestribus equestribusque copiis: cujus licet arces & castella omnia simul occupari nequirent, tamen, vastatis undique agris, dedituras se tandem compulsas rerum penuriâ. Quæ cum ita se habeant, majorem in modum rogare se, ne grave sibi ducat Regia Majestas Sveciæ, apud Serenissimum Regem Hispaniæ, Albæque Ducem, bonis verbis rem eò perducere, ut si quâ in re Dux existimet ipsum fuisse sibi gravem, vi abstineat, experiri que secum velit jure, coram judicibus æquis, ac quorum se foro nequeat subducere. De Jeverensi Dominio hæc adtulit. Nimirum, ditionem cum oppidis Jeverâ, Esenâ & Vitmundâ, olim eundem cum Ostfrisiâ agnovisse Dominum, fuisseque diu per multos longâ serie Cæsares feudi titulo permissam Comitibus Ostfrisiis, qui annum Canonem seu censum, ex præscripto Matriculæ Imperii (sic vocant album civium, seu indiculum censuum) Cæsaribus particulatim soliti sunt pendere. Sed his insuper habitis, hodierna terræ Jeverensis Domina, virgo annis confecta & senio (quâ de causâ, cujusve impulsu nescitur planè) impetum cepit legandi illam Domui Burgundicæ: quod si perfecerit, cessurum omninò est in detrimentum magnum Comitibus Ostfrisiis. Justus enim metus est, impositum isti terræ à Burgundis Dynasten, moturum Ostfrisiis lites de finibus, quas sequi solent odia, altercationes dimicationesque, Dominis ac civibus exitiabiles. Itaque ingenti adfecerit Regia Majestas Sveciæ domum suam beneficio (in quâ nunc septem efflorescunt jugalis amoris germina) si, ad avertenda hujus generis mala, curârit dictas ditiones iterum jungi Ostfrisiæ, quas bono jure ad se suosque liberos spectare perspicuum est. Adhæc, certum est, ægrè migraturâs dictas terras ad obsequia domus Burgundicæ Hispanicæve, à quibus totis omninò animis dissident. Tandem, sociatis sæpe cum Comite conjugæque ipsius sermonibus, eò inclinârunt, si obtineri non posset, ut Dux Albanus & Burgundica Domus suo hic jure cederent, saltem id ageretur, ut eas feudi loco ab eisdem impetrarent, non temerato tamen jure in eadem S. Romani Imperii. Hinc de dividendi cum fra-

tre Johanne Comitatus controversiâ in hunc modum disseruit. Cessere se non posse Legatos, cum primùm in Sveciam venisset, ambitum Catharinam Gustavi Primi incluti Regis natu primam filiam, præsentem jam conjugem, id tulisse responsi, accepturum, si idoneis modis probare posset, futurum se solum Dominum Rectoremque Comitatus Ostfrisiæ. Sic re non dum confectâ in Ostfrisiâ revertit, communicatoque consilio cum Matre & fratribus, comitatus fratre Johanne, Hojensi, Hayone Menningio, Friderico von Westen Cancellario, aliisque nonnullis Deputatis Ordinum, ei fratricque futuris à consilio, rediit, & tum dicta Sveciæ Princeps ipsi in manum data est, prius confectis ritè nuptiarum tabulis, quibus, præter ipsum, sine contradictione ullâ, subscripsit nomen suum Johannes frater, cæterique fratribus adjuncti à consiliis. Tum præter hos, in majus robur rei, veluti testes sua nomina adscripserunt Johannes Monasteriensis Episcopus, Franciscus Dux Saxonix, Dux Juliacensis, & Comes Oldenburgicus. Tandem, ad demissas preces Edzardi Comitis, plenam autoritatem confirmatione suâ addiderunt, primùm Ferdinandus, & post ipsum defunctum, Maximilianus Secundus, Cæsares. Hunc contractum matrimonialem, observatis ita ritè legum solemnibus confirmatum, ad sensu matris, fratris natu mediæ Christophori (qui ante annos jam quinque cælebs obiit in Austriâ) suo, cæterorumque, quorum fas & jus fuit, omnium, ratum habitum, jam infirmatum ita frater Johannes, atque in Comitibus Spirensibus anni M. D. LXX. à Cæsare petiit, ut hæreditario jure, æquataque cum fratre imperandi potestate, dicti Comitatus adire posset partem dimidiam. Quo facto, quantum in ipso, & donationem factam conjugi propter nuptias, dictam *Eliffgeding* / & liberorum ei spe meliori genitorum, integræ hæreditatis adeundæ jus convulsam ibat, adversus antiquam terræ consuetudinem. Quale nihil tentabat natu major ipso frater Christophorus, per totos annos decem, à morte patris ad consummationem dicti matrimonii. Remotissimis verò à nostrâ memoriâ temporibus, ajebat Comes, nulli certi certove jure Ostfrisiæ impositi erant Domini: sed plerumque imbecilliozem superveniens potentior dejecit, dejectique locum occupavit per arma & violentiam. Sic partum Dominium iisdem retinendum erat artibus, quas frequenter elisit etiam dolus & circumventio. Cum inter sic incertas dominantium vices jactaretur salus civium, velut cym-

bula inter Syrtes æstuantium vorticum , compulsi sunt uni Domino certis cum legibus committere summam rei, quam anno M. CD. LIII. Fridericus III. Imperator Ulrico confirmavit, hujus stirpis primo à se creato Comiti. Filius Ulrici Edzardus Comes, patri succedens, ne Comitatus Ostfrisiæ, divisus inter filios, attenuatusque inter nepotes, in exilia nulliusque census abiret minuta Dominia, adhibito adsensu Ordinum, Testamento sanxit, Comitatum integrum perpetuò mansurum apud solum stirpis natu maximum. Sic ab Edzardo ad Ennonem filium, ab ipso ad se Edzardum hodiernum integer devolutus est. Dividi eum sibi aliquandò postulavit Johannes frater Ennonis, sed cognito Patris Testamento, decretoque Comitatus Ordinum, coepto destitit, & ex receptâ diu terræ consuetudine, acceptâ æqvâ summâ pecuniæ, Falckoburgensem Comitatum, ductâ Maximiliani Primi Cæsaris filiâ Dorotheâ, consecutus est. Adversus supplicem fratris libellum ad Cæsarem, etiam supplex exceperat Comes Edzardus, ut retulit, monstrans, in quibus hic fratris conatus & Testamento avi, & inveteratæ terræ consuetudini repugnaret, stabilitis adsensu Ordinum, concordatisque Majorum, de jure transmittendi semper Comitatum integrum ad primogenitum ex regnantis Domini filiis. Cæsar, auditis quæ fratres invicem protulerant, Archiepiscopo Coloniensi, Ducique Brunsvicensi Julio, dedit in mandatis, ut exquisitam quam diligentissimè rerum veritatem, inspectis literariis documentis, ad ipsum perscriberent, pronunciatum ex æquo sententiam. Querebaturque Comes, posthabitis suis validissimis rationibus, fratrem nihilo minus pergere in iniquo proposito, frigidam suffundentibus quibusdam duplicis lingvæ hominibus, quibus allubescit, modò uni modò alteri fratrum lubricam operam addicere. Adhæc, sibi ut natu maximo, competiisse semper jus dandi civibus literas nauticas, quibus cum aliqui abuterentur, alio tempore denuò petentibus denegatæ sunt, quas mox à Comite Johanne impetrârunt: unde talibus nata est multiplex illis magis abutendi licentia, eoque factum, ut plurima ei imputarentur, quorum ne ullam quidem haberet cum fierent notitiam. Agnoscere se immensum beneficium Serenissimi Regis adfinis, qui de istis & ad fratrem comitem, & ad civium Ordines, literas dederit, quorum utrosque eas accepisse certus sit; quid autem ad eas rescriperint, ne dum quidem potuisse rescire. Tantum sciscitanti dixerant Ordines, responsum suum

mississe

mississe ad Monasteriensem Episcopum, à quo & literas Regis acceperant. Mox convocatis Comitatus Ordinibus, Regii Oratores recitari fecerunt ad ipsos superiori anno datas literas, quarum exemplum adduxerant. Addentes, quoniam nihil responsi Rex ab ipsis receperat, & pergere in proposito suo Comitem Johannem intellexerat, in grave damnum Regiæ fororis, adfinis, communiumque ipsis liberorum, intermittere non potuerat, missis Legatis denuò ipsos commonere istarum rerum, quæ ipsorum non minus, quam regnantis apud ipsos domus salutem concernant & commoda. Hinc commemorant, ut ab initio inter incertorum Dominorum tumultuarias vicissitudines iactati, rem ad unum ipsorum Majores retulerant: ut hodierni Comitatus avus, cum ad sensu Ordinum, decreverat, nunquam dividendum Comitatum inter unius Domini plures filios: ut in hunc diem isthoc instituto quieti felicesque vixerant, futuri calamitosi, si ab eo resiliant. Illudi enim sibi suisque non patietur Rex, ut frangatur Regno Sveciæ quam solennissimè data fides, firmata ad sensu Ordinum, & primùm Imperii Principum, dein duorum Cæsarum adscriptis nominibus stabilita penitus. Cui adhibenda fides, si fallant tanta nomina? An credendum, permissuram fuisse inclutæ memoriæ Gustavi Regis prudentiam teneritudinemque amoris in natu primam hanc filiam suam, natam Principem Regnorum Sveciæ ac Gothiæ, ut dimidiati Comitatus Domino denuberet? Et quoniam quicquid in matrimonialibus tabulis Svecia se facturam promiserat, bonâ fide præstiterat: & sibi repromissa ab Ordinibus jam convocatis præstari quis mirabitur? Quis potius non mirabitur, si non indignetur tam sanctè promissis fidem impune detrahi, præsertim si sciat, non Comitem Johannem solum, sed matrem, natuque majorem ipso fratrem Christophorum, Ordines etiam universos Comitatus, hæcenus dicta stipulantibus & restipulantibus literis plenum adhibuisse ad sensum, nullius contradictione infirmatum uspiam? Ad hæc, semel inter præsentibus jam fratres diviso Comitatu, necessum erit, illis decedentibus, adhuc in plures partes divelli inter ipsorum nepotes ac posteros, quo tandem futurum, ut tot infirmissimorum ac in diversâ tendentium Dominorum lacerata voluntatibus ac studiis, multò quam olim plectatur gravius. Quod licet speret Rex ipsos pro suâ prudentiâ amoreque in patriam, omni nisu averfuros; quia tamen ad hæc agenda impelli credit Comitem Johannem consiliis hortatibus-

que malorum ac inquietorum hominum, sententiam Amplissimorum Ordinum per nos diligenter exquirendam statuit, velint ne operam dare, ut tam laudabiliter ab omni parte & olim & nuper sancita vigent, an verò obsoleant abrogenturque. Cognitis enim ipsorum voluntatibus, melius dispicere poterit, quid è re per dilectæ Sororis, adfinis nepotumque futurum sit. De hac enim injuriâ intermittere non poterit conqveri apud Cæsarem, Reges, Electores, cæterosque Christiani orbis universos Principes ac Populos, quantumque in se est, ut rei necessitas postulaverit, videre, quibus idoneis modis tam absonum factum queat aut impediri aut corrigi. Decretum enim ipsi, tam caras necessitudines non deserere; præsertim cum adfinis ejus non recuset, ex receptâ terræ consuetudine, avitique Testamenti formulâ, fratrem sibi molestum æquâ vi pecuniæ amicum reddere. Ad hæc responderunt Ordines. Se, circa finem proximi mensis Octobris, recepisse literas Regias, medio mense Julio anno superiore scriptas, atque medio ferè Decembri convocatos, cudisse responsum, quod mittendum in Sveciam Episcopo Monasteriensi commendaverant. Sed dum congregati Ordines egerunt de mittendo responso in Sveciam, quendam sibi à Secretis misit ad ipsos Comes Johannes, per quem indicatum Ordinibus, Constitutos à Cæsare ex Electorum Principumque Imperii numero aliquot, quibus injunctum, ut agitas inter fratres controversias, si possent, amico modo componerent; si non possent, perspectis descriptisque utriusque partis rationibus & monumentis literariis, de vero rerum contextu ad ipsum perscriberent, decreturum quæ exposceret negotii controversi indoles. Pendente lite, utriusque fratrum æquale præstaretur ab Ordinibus obsequium. Hæc ille. Quoniam verò deinceps, neque per Cæsarem, neque per dictos Commissarios liti finis impositus, pro suâ prudentiâ facile videre ajunt Legatos, non convenire Ordinum modestiæ (quum dicto Cæsaris summi apud ipsos Magistratus, & ipsi, & ipsorum Domini, audientes esse debeant,) ut suam ipsi promant sententiam, quam expectare ab ipso Cæsare debeant, præsertim cum ipsi Comites, Ordinibus inconsultis, Cæsari & Commissariis decisionem litis submiserint. Rogantes majorem in modum, ut huic responso acquiescentes Legati, aliud ab ipsis exigere superfedeant. Reposuerunt ad ista Legati. Notum esse, dictis Commissariis solummodo injunctum à Cæsare, ut descriptis per publicum notarium partis

utri-

utriusque literis documentisque id negotium concernentibus, causam cognoscerent, probeque cognitam ad se futurum judicem bonâ fide referrent. In ipsorum utique potestate minimè futurum, ut Testamenta, constitutiones hæreditariæ, Ordinum Decreta, ipsâ vetustate consensuque condentium vim legum obtinentia, contractus insuper nuptiales ritè facti, nominibus sigillisque quorum interest firmati, roboratique autoritate Cæsarum, abrogentur habeanturque pro nihilo. Cum nulli Magistratui jus sit, pias justasque Majorum Sanctiones, cunctis utiles, nemini damnosas, abrogandi. Ipsis utique Cæsareis scripto traditis juribus, perspicuè talibus legum vim auctoritatemque nullius ausu temerandam adferentibus. Esse spem bonis indubiam, talia iussurum Cæsarem firma ac inviolata manere. Apparere igitur rem tandem redire ad arbitrium Ordinum, quos par est, ut petunt Legati, suam liquidò proferre sententiam, indicareque, utri sententiæ accessuri sint, abroganti ne hæc omnia, an quæ firma malit ac inconvulsa. Accessuros posteriori sperat Rex Sveciæ. Qui ut promissa à se præstitera, ita præstituros sibi Ordines confidit, quæ Regi sunt polliciti; memores, multis modis minorem nunc esse Comitatum Ostfrisiæ quam olim, qui si nunc secetur in partes, majori hodie quam olim erit id civibus periculo. Regerunt ad illa Ordines ut prius. Non æquum esse suam de his promere sententiam, cum ipsis insciis, annuente Cæsare, ambo Comites in Commissarios consenserint, quo ipso res eis non amplius integra, sed determinationi horum facta obnoxia. Velle autem in hæc re se ita gerere, ne, aut Cæsar, aut Rex Sveciæ, aut ipsi Comites, jure quid vertere ipsis possint vitio. Rogare itaque sicut prius, ne ulterioris declarationis responsive postulatione ipsis creetur molestia. Quod si quid eò conferre queant, ut res amicè transigatur inter fratres ipsorum Dominos, in eo lubentes fidam navare velent operam. Quod autem Legati mentionem injecerant antiquarum sanctionum inter Ordines, Testamenti, contractus etiam nuptialis in Svecia initi, horum, dicebant Ordines inferiores, nullam se penitus habere notitiam, quam si habuissent à motæ litis initio, futuri fuissent autores suis Dominis, ne res permitteretur Commissariis. Ad quos cum devoluta sit, non sibi convenire quicquam de eâ porrò dicere. Ad illa responderunt Legati quæ supra commemoravimus. Oblatam vero operam Ordinum in reconciliandis dissidentium fratrum animis, in

tan-

tantum admittendam Legati adseruerunt, in quantum nihil actum velit adversus receptas consuetudines, Testamenta, atque confectos in Sveciâ codicillos matrimonii, confirmatos per quos fas fuit, ut ante dictum est: In quorum fraudem si qui nitantur, protestari se ajunt palam, habituros id cum Rege suo pro infecto ac irrito. Cumque nihil aliud loco responsi extundi ab ipsis posset, seorsim libuit Legatis agere cum Equæstris Ordinis præcipuis, Embdanæque civitatis primoribus, qui operam suam paulò ante obtulerant reducendi fratres ad concordiam. Hi iterum, si modò res probaretur Edzardo Comiti, pollebantur, se adituros Matrem Comitum, Johannemque fratrem, tentaturosque, an, omiſſis Commissariis, refarciri per ipsos posset amicitia. Antè verò quam id fieret, è re esse duxerunt, inferioribus Ordinibus monstrari Constitutionis hæreditariæ, Testamenti, nuptialisque contractus autographa, ad demendam ipsis omnem dubitationem de veritate rerum, quæ vocatæ in controversiam, augendumque in iisdem studium tuendi ea, quæ Dominis ipsisque noscerentur salubria. Auricum convocatis (priora enim Embdæ acta sunt) post repetitam commemorationem eorum quæ præmissimus, monstratum est Testamentum Edzardi Primi Comititis, scriptum die Dominicâ Nicolao Episcopo sacrâ anno M. D. XII. in quo disertim, filiorum Regnantis Comititis natu maximo, si modò mentis compos, mortuo patre, integri Comitatus decernitur administratio: Fratribus autem ejus, si in natali dominio, annui certi redditus, si extra degere velint, certa summa pecuniæ semel pendenda determinatur. Comitatum semper fore indivisum præcipitur, adjecto palam ad sensu Ordinum Ecclesiastici ac Civilium. Hinc constitutio ejusdem Edzardi, quomodò se mortuo Comitatus Ostfrisiæ deberet administrari ab Ennone filio secundo genito, quoniam primò genitus Ulricus regendi onus subterfugeret. Edita hæc anno M. D. XXVII. itidem die Nicolai Episcopi. Hinc Johannis, Falckenburgici postea Comititis, abdicatio Comitatus Ostfrisiæ, facta anno M. D. XLV. Postmodum Ennonis, cum Ordinum scitu ad sensuque facta constitutio, de filii natu maximi hodierni Edzardi regimine Comitatus indivisi, quorum duo exempla exstabant autographa, alterum in Ordinum Provincialium, alterum in civitatis Embdanæ chartophylacio. Tandem, hodierni Cæsaris confirmatio contractus Nuptialis instrumento peculiari,

liari, cui formula ipsa contractus, cum subsignatis nominibus contrahentium testiumque inserta visibatur. Ostensis visisque his omnibus, iterum commonere visum est Ordines, quantum in ipsis, obniterentur divisioni Comitatus, cessura ipsis exitio. Semel enim admissa divisione inter fratres, sapius inter nepotes & posteros iterandam negari non posse, quo fieret, ut vires sub uno Domino junctæ, pares arcedis vicinorum injuriis, inter nepotes sparæ, exiguæ evaderent aut nullæ. Atque eo pacto, non tantum externis insidiis forent oportuni, sed etiam tot indigenis Dominis alendis sustinendisque invalidi, qui, si in partes abirent voluntatibus ac studiis contrarias, incidere possent in prius discordantium moderatorum malum, quo fortior imbecilliorum tollet è medio, discerptis incolarum plerisque inter civiles discordias. Non visis lectisve monumentis, soliti Ordines ambigere, petitioni Regiæ annuerent ne renuerentve, nunc visis lectisque, orant Legati, ut unâ mente palamque annuant. Quod ni faciant, videant, jure dici ne possint, resiliisse turpiter à parentum sanctis pollicitationibus, quod ferre Rex neutiquam poterit. Non passurus enim illudi sibi, ut cum gloriosæ memoriæ pater, ipse, universumque Regnum Sveciæ, bonâ fide suis promissis steterint, pars repromittens, à datâ fide recedat, sine sensu vindictæ ignominiaque. Rogant itaque ad postremum Legati, cum locus ultra non sit excusationi ex sanctorum ignorantia, ut tandem apertè edisserant, Majorum ne parentumque pollicitis stare, an verò ab iisdem discedere malint, cum ventum fuerit in rem præsentem, ut alterutrum horum fieri omnino velint aut Cæsar aut quibus is commisit decernendi negotium. Ipsorum enim salus requirit, ne tum obmutescentes permittant rem decerni arbitrio aliorum, periculo suo. Meminisse etiam jubent, cum ante annos non multos in animo haberet Comes Johannes nuptiis jungi filiæ Electoris Brandenburgici, obtinere non potuisse à matre & Consiliariis, ut ipsi titulo hæreditatis permitteretur unica domus Frideburgensis cum adtributis ei possessionibus, prætextibus ipsis, adversus superiorum temporum Decreta, ullam partem divelli haud posse à toto Comitatus corpore. Si tantula portio tum jure dari nequirit, quâ nunc specie juris impetrabitur dimidia? Ethic & alii arietes in hoc Ordinum confessu expugnandæ eorum pervaciæ adhibiti. Sed perstiterunt in eâ illi nihilo minus constantes, professi, visis perspectisque jam omni-

bus rationum momentis , velut jucundo cibo refectos eorum animos, nec habere, quod tot publicæ fidei egregiis pignoribus possint velintve obvertere. Nec tamen sibi convenire decernere, cujus illa esse debeant roboris ac ponderis ad dirimendam inter fratres agitatam, & Principibus viris à Cæsare commissam controversiam. Quæ, si non illis, sed Comitatus civibus disceptanda decidendaque ex æquo fuisset tradita, ostensuri fuissent, alienissimos se à temeritate, auctoritatem detrahente majorum statutis conventisque salubribus. Nunc cum res aliter se habeat, utique decorum esse, ut alienæ fidei malint æquitati, quam suæ prædenter nimis quid tribuere, offensuræ superiores, obscuræque omnium commodis. Cum enim utriusque Comitum iussi sint par impendere obsequium, eademque formulâ juramenti fidem utriusque obstrinxerint, palam esse, migrari leges præscripti obsequii, pro utroque sententiam dixerint. Quæ cum ita sint, fidere se bonitati, ajunt, optimi Regis, ne succenseat ipsorum modestiæ, non temeraturæ obsequia in suos legitimosque Principes. Si perduci autem eò res possit, ut Comites, ommissâ Commissariorum operâ, acquiescere velint suorum sententiæ, ita acturos circa præsens negotium, ne defuisse videantur suo pietatem, fidem integritatemque in patriam testaturo officio. His tandem acquieturi Legati rogârunt, si componi amice civium operâ res deberet inter fratres, ne quid fieri permitterent in fraudem Sororis Regiæ, mariti ejus, communiumve liberorum, adversus fidem documentorum monstratorum Ordinibus, adjicientes protestationem actus irriti, si quid tale contingeret. Hæc in publico Ordinum congressu acta sunt. Ne quid intentatum relinquerent Legati, statuerunt, seorsim præcipuorum Ordinum lectissimos vocare ad colloquium. Ita que proximo postquam hæc acta erant die, Equestrîs Ordinis Proceres vocatos separatim compellant de dictorum monumentorum auctoritate non temerandâ à quoquam. Qui mox, hæcenus à se usurpatam pertinaciam renuendi, sic excusarunt. In præsentia inferiorum Ordinum aliter facere non potuisse, ne illorum sermonibus ubique arguerentur autores fuisse plebi ac Populo, ut posthabito præcepto Cæsaris, sacramento etiam, quo obsequia utriusque Comitum pariter addixerant, auctoritas legitimi summiqve Magistratus cunctis apud ipsos vilesceret. Cæterum hoc loco dissimulare non posse, animis exosculari ipsos sententiam Regis, divisionem omnem Comitatus ducentem ipsis indigenisque

nisque omnibus non gravem solum, sed etiam perniciosam: ideoque obstituros omni nisu, ne uno plures cum jubendi prohibendique potestate habeant Dominos, disertim addentes, unum illum futurum præsentem Edzardum quoad vixerit, ipsoque decedente, ad præscriptum sanctionum memoratarum Ennonem, aut quemvis patri superstitem natu cæteris majorem filium. Atque in hac perstituros se omnes ac singulos, non contestationibus tantum ac verbis, sed jurejurando dextrisque datis pollicebantur Legatis Regiis. Gratanter illis dimissis, acciti Embdanæ urbis & quarundam potiorum Primores ac Consules, ad eundem modum cum Legatis convenere. De tentandâ insuper re-stauracione amicitia inter fratres, Equestrîs ordo & Embdani cives diem condixerunt secundum instantis Februarii, quo, accitâ Kniphustensi Dominâ, Embdæ sex utriusque Ordinis viri prudentissimi coirent, acturi de modo, quo fieri illam posse sperarent quam commodissimè. Atque inde simul adirent matrem Comitum in Gretensi curiâ commorantem, vocato illuc prius Johanne Comite, daturi omnes operam, si fieri per ipsos possent, ut animi odiis disjuncti coalescerent. His in Frisîâ Orientali exactus est totus mensis Januarius. Inde verò abeuntes Legati, post se reliquerunt Ludbertum Kaverum Ministrum Caroli Ducis Sudermanniaë, è cujus ut & ipsius Edzardi Comitîs literis patet, medio mense Februarii nec dum successisse per Ordines promissam reconciliacionem fratrum: unde Edzardus solam componendæ rei viam per Cæsaris Commissarios superesse autumans, Regem orat, illis coeuntibus, suorum aliquem adjungere velit, qui interpositâ autoritate Regis, rem perducere curet ad exitum suis civiumque votis consentaneum. Dein Februarii mensis die undecimâ Amstelodamensem, & vigesimâ quintâ ejusdem Antverpiensem Senatuum compellarunt Legati, excusantes ea, quæ in ipsorum urbium cives sub Rege Erico contigerant, promissaque restitutione per ipsum ablatarum navium & mercium, impetrârunt benevolum responsum intermittendæ ad tempus navigationis Narvicæ, donec bonis rationibus pax cum Moscho coalesceret. Interea dum his expediendis immorantur Legati, quendam Johannem le Moine, nomine an re Monachum ignoro, Regi suo non ignotum, in Galliam atque ad Ducem Albanum ablegant, salvi conductus, ut vocant, petitum literas, quibus acceptis utrobique quam amicissimis, ad ipsos hisdem diebus reversus est. Itaque sine morâ,

d. 14. Februar.

Legatio ad
Amstelreda-
mensis, &
Antverpianas.
d. 25. Februar.

Legatio in Belgium.
d. 4. Martii.

itinere hoc anni tempore satis molesto, die quarta Martii, Bruxellas ad Ducem Albanum perveniunt, quo tempore cum ejus reliquarumque Belgii urbium ac provinciarum civibus, de omnium quæ possiderent rerum decimis dandis atroces habuit controversias, quæ, virum trucis ingenii, bello vexatis immaniter Provinciis, sexto anno postquam titulo Rectoris eò venerat, iisdem expulerunt. Apud hunc functi Legati salutandi officio, ipsa ob quæ missi negotia voce scriptoque exprompserunt in hanc sententiam. Quoniam non unis literis apud ipsorum Regem Dux conquestus est, ablatas Hispanici Regis in Belgio civibus per Ericum Regem naves, deprehensas cum mercibus in Daniâ belli tempore, rogaturque eas restitui, ni jure repræsaliarum, ut vocant, bona civium Sveciæ detineri vellet per omne Belgium, quod nuper Dux illic orsus est facere; intermittere Rex pius non poterat, ad præcindendam, quæ nasci hinc posset, longam malorum seriem, per suos apud Ducem Legatos amicè de eâ aliisque eodem spectantibus rebus agere. Atque cum Sveonum Rex iniquum ducat, repeti à se populo suo, quæ suo ipsorumve scitu ac jussu capta non sunt, sperare ipsos ajunt, ne cultu æqui justique ubivis celebratus Rex Hispaniæ, & Dux, ipsius in Belgio Minister inclutus, ob culpam alienam innocentes ipsos velint plecti. Tantum enim abest, ut Regis populivæ nutu civibus Belgicis quicquam ereptum sit, ut Rex ipse in summo tunc constitutus vitæ periculo, captivus fratris fuerit, & Populus ipse gravissima quæque ab eo pertulerit. Adhæc, cum Ericus Rex finem nullum faceret maximarum injuriarum in domesticos æquè ac externos, Decreto Ordinum quos læserat exautoratus, detractis Imperii insignibus, in sortem privatam redactus est, perpetuâ septus sepiendusque custodiâ. Luit itaque poenam suorum facinorum, destitutus ab iis, in quos, sævitiam ejus perosos, tot domi forisque concitavit hostes. Æquum itaque, ut culpæ immunes, poenæ etiam exsortes sint. Nisi verò hodiernus Rex Populusque Sveonum, prudentiâ & lacertorum robore duro iniquoque Regi extorsisset, quo abutebatur, Imperium, etiamnum, cui diu adfuevit, promiscuè in suos alienosque cives usurparet crudelem quidvis agendi licentiam. Atque illa in ordinem ipsum redigendi sollers fortisque cura, non parvo constitit Regi ac Ordinibus, quibus cum Danico Rege, mox etiam Moschico Magno Duce, armis decertandi inevitabilem necessitatem Ericus imposuit, quorum alterius, DEO bonitateque causæ

fisi,

ffsi, à cervicibus jugum nuper amoliti sunt, alterius amoliri nituntur quotidie, suis nulliusque exterorum Principum opibus adjuti. Refricare verò se ajunt injucundam hanc rerum patriæ tristium memoriam, cujus tamen amarorem dulcedo partæ libertatis diluit, non quod voluptati sit talium commemoratio (quamvis aliquandò meminisse dulce, quod pati durum fuerat) sed quod intelligere cupiant Inclutum Ducem, nihil raptorum Erici pervenisse ad hodiernum Regem, quæ poscente justitiâ debeat reddere, nec relictum ejus quicquam in quod successerit, præter necessitatem adversus domesticos exterosque hostes tuendi vitam libertatemque suam ac civium. Itaque si quam vim & injuriam, si qua damna Regis Hispaniarum in Germaniâ inferiore civibus Rex Ericus intulerat, ipsi sceleratisque nonnullis ejus Ministris imputanda sunt, quibus iusto DEI judicio sua pœna irrogata est, quibus etiam dejectis ac sublatis, suscepta à Rege populoque Sveonum ea cura, ut extinctis vicinorum odiis, sedatis bellis, ac inhibitis bellorum cladibus, redeat pax, & libera tutaque rerum ac mercium commutatio ab omni parte, cum Regis Hispaniarum, ac aliorum quorumvis Principum civibus. Atque ut testatiorem faciat Sveoniæ Rex amorem suum justitiæ, non renuit, si doceri usquam possit veris rationibus, aliquam prædæ Ericianæ partem pervenisse ad se aut sibi nunc subditos, aut Hispanorum Belgarumve cuiquam quid deberi, persolvere id cum omni favore ac benevolentia civibus Hispanici Regis, fratris sui ac consanguinei, cum quo inde à Majoribus non uno fœdere constitutam firmatamque & sincerè semper coluerat, &, quantum per se licet, semper culturus est amicitiam. Cujus rei docendæ gratiâ se venisse dicunt Legati ad Illustrem Ducem, ituros etiam ad ipsum Hispaniarum Regem, si res sic postulet. Videri autem id postulare, cum ferat rumor sparsus per Belgium, meditari Ducem hostilia in adfines Regis Sveciæ, Christophorum inclutum Badensem Marchionem, & Edzardum perillustrem Ostfrisiarum Comitem: quos quoniam ignorat Rex ullo facinore meruisse iram Ducis, rogat amanter, causas ejus velit patefacere, & si ipsi illæ justæ videntur, dare hoc precibus amici Regis, ut à vi omni abstineatur, donec convenire Legati possint Regem Hispaniæ, quem sperant fœderato Regi non denegaturum id amoris, ut æquis iudicibus res permittatur, quorum sententiâ possint, si innocentes, absolvi, si rei, pro modo culpæ, ex legibus plecti, non autem bello puniri,

quo cives cum Dominis, infantes cum criminosis adversus sanctiones naturæ & scita legum possint perimi. Si quâ re Ducem ad fines læserant, ad laboraturum etiam ipsum Regem, ut læso fiat satis: Si nihil pœnâ dignum admiserant, non permitturum, ut impunè ad fines, sorores, nepotesque & horum cives in prædam dentur insolentiæ alienorum militum. Rogare itaque Regem, ut Illustrissimus Dux plane edisserat, quid in his agendum velit, ut intelligat Rex, quid sibi ab ipso affines debeant polliceri. Dissimulari non debere, ajunt Legati, habere se in mandatis, ut Regem Hispaniæ adeant, acturi de his aliisque rebus, de quibus superiori anno ipse in Sveciam scripserat, fidem facturum Majestati ejus, non minus daturum operam Regem Sveciæ, ut vetus inter duo hæc Regna fœderibus sancita amicitia inviolata servetur, quam Rex Hispaniæ idem se facturum pollicitus sit. Atque ut opere ipso, nec solis verbis nitatur hæc pollicitatio, Rex Sveciæ Regi Hispaniarum offert duodecim naves bellicas, instructas clasariis, milite omnique armorum genere, quibus uti liberè poterit ubicunque volet adversus suos Christianique nominis hostes, sed sumptu stipendioque præbito de suo, ad eum modum, quo inter ipsos convenerit. Sperat autem, in argumentum amoris mutui, suis precibus hoc tributum Regem Hispaniæ, ut Severensè Dominium, cujus possessionem legando devolvi cupit exactæ ætatis virgo hæres ad domum Burgundicam, præterito hærede propiore Comite Ostfrisiæ: tum etiam, ut sibi subiectis interdicat usu navigationis Narvicæ, donec pax confieri possit cum Duce Moschoviæ. Hæc voce scripto ad Ducem retulere, ad quæ cum cunctaretur respondere Dux, causatus dolores podagræ, id ægrè ferentibus Legatis, tandem post tres dierum hebdomadas, in hanc mentem & suo & sui Regis nomine scripto responsum edidit: Quod quamvis multâ respersum sit acrimoniâ in Auriacum Principem Ostfrisiosque Comites; voluimus tamen integrum bonâ fide adponere, gnari, Nafovios Duces Belgasque, publicatis scriptis apologeticis solidè à se dudum amolitos impacta crimina: Nos autem, post Albani responsum, subnectemus, quæ pro vindicandâ præpetim Comitum Ostfrisorum innocentiam Legatorum prudentia tum adtulit. Imprimis, nomine Hispaniarum Regis, se gratâ interpretari mente ait oblatam à Sveoniæ Rege in suum Dominum plenam benevolentiam amicitiam cum fraterno amore, cui paria facturum suum Dominum verbis pollicetur amplis-

Responsum
Albani.
d. 22. Martii.

plisimis. Exhibitum præterea à rege suo Sveonum Regi luculentum fidi constantisque amoris argumentum prædicat in eo, quod quamvis per annos plures, durante bello Sveco-Danico, percussantibus orientale mare infestis populi utriusque clasibus, plurima passi essent Hispanici Belgicique cives adversa iis, quæ de navigandi commercandique his oris potestate liberâ præsci propiorisque avibus permittunt fœdera; nihil tamen hostile in alterutram partem fieri permiserit, sed utriusque eadem præstitit illibati amoris officia, ut fieri par est ab his, qui neutri bellantium obnoxiam fidem sponsonderant. Maluisse enim Regem suum quasi conniventibus oculis spectare aliqua suorum damna, ut pax eò citius, cum suorum alienorumque civium commodo possit restitui, quam vindictæ cupidine arma inducere, atque oleum, ut dicitur, igni adfundere, facereque ut latius serpat plures correpturum incendium, ad quod communi ope exstinguendum æquum esset vicinorum quosvis accurrere. Quoniam autem fœdere, quo pax inter collisos nuper Reges revocatur, receptus est Hispanus cum suis ditio- nibus, tantò enixius laborabit in posterum utriusque Regum incorruptum servare animum, quò evidentius illi in se suosque emicare fecerint benevolentiaæ studium. Quod ut præscis, atque inde à Majoribus per longam successorum seriem constitutis sancteque semper servatis fœderibus consentaneum est, ita præsentis scripto velle se iis novum, cum Legati sic exigant, robur adjicere, quum explorata ei sit sui Regis in æqua omnia postulata consensio. Nec ægrè admitturum se, si animis arctius conglutinandis quæ nova adferant Legati officiorum utrinque vincula. Ad dijudicanda verò ea, quæ de non ab hodierno Rege reddentis per antecessorem ablatis Legati adtulerant, necessarium visum, denuò audire hos, qui antea hujus generis querelas adtulerant, quorum qui ad manum sunt, uno fatentur ore, bellicas Erici Regis naves, compulisse onerarias ipsorum in portum Stockholmiensem adpellere, onustas sale, quem in summâ ejus, ob penuriam, caritate, civium quibusdam pro pretio exiguo coacti sint tradere receptâ pecuniolâ, à quibusdam non impetratis nisi solvendi ejus chirographis; qui cum in usum ejus Regni civium cesserit, æquum esse, ut pretium ejus sui Regis cives recipiant. Et cum salem dictum jurejurando Belgici cives contestentur in Erici Regis civiumque ipsius distributum fuisse commoda, visum est Duci æqvissimum, quoniam in locum Erici eorundem civium

civium suffragiis surrogatus sit Rex hodiernus, ut ipse civesque illi ipsi sic acceptæ creditæque mercis pretium, cum eo quod prius id reddi intererat, persolvatur. Quod suis ad Ducem literis Rex etiam anno superiore facturum se promiserat, daturumque operam, ne læsi justam ulterius querendi haberent causam, quicquam præter fas sibi contigisse à Rege Sveonum. Neque aliter quieturum Regem suum Dominum. Quod abrogandam ad tempus navigationem versus Narvam desiderat Rex Sveciæ, in tantum sui Regis nomine adprobat Dux, in quantum id pactis Stetiniensibus; secuto inde Spirensium Comitiorum Decreto, & alteri Conventus Deputatorum Francofurti conforme fuerit, in quibus sub poenâ amittendarum fortunarum omnium & capitis, interdictum est Moscho adferri argentum, æs, ferrum, chalybem, aut metalli facti infective genus ullum, ut nec armorum, telorum, machinarumve bellicarum ullas species, nec frumentorum, salis, nitri, pyrii pulveris, aut quid ejus generis mercium, quo reddi possit, Moschus ad Svecos impugnandos Livoniamque subigendam instructior. Quæ Decreta quam primum publicata fuerint per Romanum Imperium jussu Cæsaris, etiam operâ suâ publicabuntur per Belgicas provincias, quæ Imperii pars sunt haud ignobilis. Atque promulgatis hisce mandatis, spes est, non ausurum quenquam ea Moscho suppeditare, quæ noxia futura sint Sveciæ. In cæteris autem eò devehendis mercibus, unde aliqua lucri spes adfulget illuc euntibus, nihil autem damni periculive metuendum Sveonibus, sperat Dux, eadem libertate fruituros Belgarum quâ aliarum gentium ac civitatum mercatores, sine Sveonum Regis offensâ, idque tantò magis, quantum antiquioribus pactis inter Svecos Hispanosque convenerat, utrosque in Sociorum terris ac ditionibus, terrâ marique, sine obnifu cujusquam, quietè pacificeque exercituros mercimonia. Ad ea quæ de Marchione Badensi & Comite Ostfrisæ, Sveoniæ Regis affinis, Legati adtulerant, non uno modo respondit Albanus. In Marchionem quidem contestatus est, nec Regem Hispaniæ, nec semetipsum quicquam uspiam cogitasse durius, nedum egisse quod repugnet summæ in ipsum benevolentiæ dilectionique, ac ne credere quidem ipsos, justam habuisse eum usquam causam conquerendi, profectum aliquid ab illis, unde cladis accipiendæ metus capi debeat. Itaque quem sparsum in Belgio de hac re rumorem perculisse Regis aures animumque memorârunt Legati, non tantum verus, non est, sed ne veri quidem

umbram continet. Cernere autem se, vana non minus quam vera, cum animum subiere, crucem figere mortalibus. Non succensere tamen credulitati Regis, quam excusat locorum longinquitas, commendatque benigna in suos sollicitudo ac pietas. Ut autem videat Rex inclutus, quam nulla sibi sit in dictum Marchionem animi alienatio, cum questi sint Legati, de inæquali Marchionatus divisione per fratrum dissidia, per literas apud Regem Hispaniarum causæ Marchionis Christophori ita se adfuturum pollicetur Dux, ut commendatione suâ ipsum juret Rex apud Cæsarem. Insuper promisit idem Dux, curaturum se, ut bona dotalia Principi & Marchionissæ Cecilix, sorori Regis, integra salvaque maneant, unâ cum parte illâ, quam in Ducatu Lucelburgico eadem velut jure ad se pertinentem postulabat. De Jeverensi terrâ, certo pacto adsignatâ Comitibus Altenburgicis, sciendum est, quod jam olim Rex Johannes apud Philippum Secundum Hispaniarum Regem per literas intercesserat pro adfines Edzardo Ostfrisiis, tanquam qui propiore gradu meliorique jure succederet. Cui cum Philippus aliquam ejus habendæ spem fecisset, neque dum feudum collatum esset, ejus rei apud Regem Hispaniarum, summumque ejus in Belgio Præfectum Albanum Ducem per Legatos suos memoriam renovandam censuit. Sed illâ spe anno sequenti dejectus est Edzardus, haud dubio impulsu Albani, qui alieniore ab Comitibus Ostfrisiis animo ob similitates, devolvi id Dominium curavit ad Johannem Comitem Altenburgium. Cui rei nec levem occasionem præbuisse censendus est Johan-

nes Comes Ostfrisiæ, vir præcipitis ingenii, qui statim à discessu Legatorum è Frisiâ, muneribus pollicitisque eò perduxit arcis Jeverensis Præfectum, ut desertis partibus justæ Dominæ, Mariæ Wimmekens, arcem ditionemque ejus sibi proderet. Sed dolum ipsa, cujus operâ nescio, subodorata, prehensum confitentemque scelus Præfectum, mox ultimo adfecit supplicio. Auxitque tum hæc res Albani odium in Comites Ostfrisiis, præter causas alias, de quibus, cum ad ea, quæ pro Edzardo Legati adtulerant, responderet, in hunc modum multis verbis disseruit. Quod Edzardum Comitem attinet, quoniam Belgicis provinciis per annos aliquot è Comitatu ejus ingens damnum illatum est, & Duci incompertum, utrius duorum fratrum foret rerum administratio, facere aliter non poterat, quam ambos autores habere eorum quæ inde in suos facta sunt perperam. Postquam enim super-

Vid. Chytr. Sa-
xon. Lib. XIII.
p. m. 34 o. m. &
lib. XVIII. p.
m. 486. f.

rioribus annis, concitatoribus quibusdam inquieti ingenii primariæque dignitatis viris, sub prætextu defendendæ religionis novæ, periculosi tumultus apertaque seditio moveri cœpta est, ejus movendæ autoribus mox ab initio Comites Ostfrisii sese adjunxerant, clam mittentes in has terras pravorum dogmatum Magistros præconesque, qui gliscens illud dissidentium animorum malum alerent propagarentque. Extincto autem quadantenus per DEI gratiam, sedulamque Ducis operam, domestica omnia depopulante hoc incendio, punitisque ex merito quibusdam seditionis capitibus, ex conscientia scelerum, metuque quod meruerant supplicij, Wilhelmus Princeps Auriacus, & frater ejus Ludovicus Comes Nassovius, cum nonnullis conjurationis sociis, solum vertentes, in Germaniam profugerunt. Illic dissimulatis rerum causis veris, sparsisque falsis, ad pingendum fuco fœdum læsæ Majestatis crimen, inducendosque incautos plurimos in sceleris consortium, coluviem malorum attraxere, quibus patriam hanc mergerent. Hinc ex mandato Auriaci fratris, Comes Ludovicus, in Embdanorum Comitum ditione, orsus telam impugnandæ patriæ, ab iisdem Comitibus adjutus pecuniâ, milite, armis, comæatu, reliquisque rebus ad tanti facinoris executionem necessariis, mox ausus est arcem Vedam, ei subjectos agros, aliaque in Occidua Frisiâ munita loca capere, convocatis incolarum Ordinibus censum ad pertexendam scelerum telam necessarium irrogare, aliaque sub falso titulo Regiæ Commissionis agere, quæ nil nisi vim injustitiamque summam respicerent. Imò, eò audaciæ progressus, ut cum sociorum consceleratissimis cohortibus Groningam obsidione cingeret, cui continuandæ necessaria pleraque Embdâ aliisque Ostfrisiorum Comitum locis allata sunt. Crevitque eò animi insolentia, ut ad eam retundendam, Majestatem suo Regi, securitatemque ejus ditionibus asserendam, coactus sit Dux justas ei copias opponere. Ad quarum conspectum primum, obsidione solutâ, in fugam se dans, ad Jemingam Comitum Ostfrisicæ substitit. Cumque & illic percussus hostem Dux persequendum duceret, cum Regiis copiis prætereuntem eum ex Orthensi castro sclopis machinarumque fulminibus ita exceperunt Præfecti Comitum præsidii, ut inter ipsos profusosque hostes nullum discrimen apparuerit. Profugis autem, ut dictum, ad Jemingam subsistentibus, iterum necessaria omnia Embdâ aliisque Comitum obsequio addictis locis affatim subjecta sunt. Tandem,

dem, cum supervenientibus copiis Ducis fufum eſſet conjuratorum agmen, continuo Embdâ aliundeque adductis ratibus ac navigiis, plurimi, inter quos & ipſe Comes Ludovicus, cladi erepti, in ditione Comitum, aptis ſecuritati locis, latebras naſti ſunt. Quamvis autem, & tunc, & ſæpius poſtea, juſtas cauſas, occaſionesque commodas Dux habuerit, Oſtfrifios Comites, eorumque terras, eodem quo cæteros hoſtes animo invadere, vel eo titulo; quia eodem tempore ad ipſos edita mandata Cæſaris, & Regii apud cæteros Friſios Præſidis frequentes per literas monitus, nullum locum invenerint; tamen pacis ſtudio, inque honorem Majeſtatis Cæſareæ & Imperii Ordinum, id in præſentem uſque diem intermiſſum eſt, eâ ſpe, quoniam inimicus & debite vicinis humanitati repugnans Comitum animus perſpectus jam eſſet omnibus, fore, ut pudore ſuffuſi, ab incepto deſiſterent, conſortio malorum renunciarent, ſtudioſioremque pacis animum in vicinos amicosque hætenus Belgas induerent. Sed ſpes illa omnis irrita. Tantum enim abeſt hæc bonitas Ducis eos mutaverit, ut exaſperârit magis. Nam, ut primo in Belgas conatu fruſtratam ſe vidit Princeps Auriacus, *ſuſcepit nequiores alterum.* Quippe cladi ſuperſtites, aliosque de novo attractos *contagione ſceleris*, factâ eis ſpe improbâ per literas, prædatoriis navibus impoſuit, cum mandato, omni genere injuriæ divexandi Iberici juris Belgium. Quo edito, ſicut pædor cadaveris vultures, ita effrenis vetita agendi licentia, ſvavisque odor lucri, quicquid uſquam piratarum in has oras attraxit. Atque ita per plures jam annos, non in Belgas tantum, ſed Sacri Romani Imperii vicinorumque Regnorum cives ac Socios, per Oceanum & Balten negotiari ſolitos, prædis actis, obſiſtentibus necatis, ultra quam credi poteſt, ſævium eſt, & communis utilitas, quæ ex navigationum mercimoniis, & libertate manare debebat ad populorum ſingulos, univerſis intercepta eſt. Cujus mali nec dum finis eſt. Sed nec ſperari poteſt, quum Comites Oſtfrifii, aut ſaltem horum Miniſtri, malitioſe conniventibus ad ea Dominis, piratiſtis naves, arma, comæatum, cæteraque hoc ſe ſcelere paſcendi instrumenta ſuppeditent. Adhæc, prædis agendis incommodo anni tempore, piraticas eorum naves, in Embdano, reliquisque portibus ad eos pertinentibus, hybernare ſinunt, prædonumque anteſignanos & Principes paſſim in ſuis territoriis ſoventurque, atque quod plus, præcipuorum Miniſtrorum excipi patiuntur æ-

dibus, ac quod omnium deterrimum, suos pleno jure cives prædonum ductoribus ad prædas agendas conductitiam locare permittunt operam, prædamque ipsam in totiens jam dictis locis clam palamque divendi, quod ex captivorum complurium, etiam Ostfrisorum civium, & spontaneis & per tormenta expressis confessionibus, aliorumque testium fide dignorum effatis probatu erit facillimum. Imò, ad manum sunt Ludovici Comitis autographæ literæ, in quibus haud dissimulat, Ostfrisorum Comitum pecuniâ adjutum se in conducendo milite. Atque has ob causas, rogatu Ducis, Majestas Cæsaris, per viros quosdam Principes, quibus id negotii commiserat, auditis partibus, vera exquiri jussit. Atque ex his Serenissimo Regi Sveciæ Legatisque Regiis perspicuum evasisse confidere se ait Dux, quam malè hæc conveniant cum Comitum Ostfrisorum passim per ipsos prædicatâ innocentiam, officiisque vicinorum in vicinos debitis, & quam non aspernandam causam habeant Rex Hispaniæ Regiusque Belgii Gubernator Dux, indignanter ferre hujus generis in se suosque molimina, & quam jure succensere ipsis æqui amantes non possint, si tot illata sibi suisque damna, ex Comitum his conniventium terris ac populis justa vi refarciri cupiant. Et si ipsi, ipsorumque negotiis gerendis præfecti Ministri, his malis avertendis essent impares, ut perhibent, deberent saltem, ad ostendendum in vicinos æquum amantemque pacis animum, à talium facinorosorum consortio semet se jungere, neque receptum apud se dare, aut ab se æqui bonique omne studium proscribere, ut hætenus se res habuerant, quibus sanè studiis effici non potest, ut vicinus in vicinum animo alieniori esse nolit aut nequeat. Hæc ad ista quæ Legati adtulerant Dux Albanus considerate minus reposuit. In quibus quum Ostfrisis Comitibus, nec minus Auriaco Principi & Belgis imputarentur multa, quibus æquâ interpretatione noxa deberet detrahi, Legati, ad tuendam præcipuè Edzardi Comitum innocentiam, ostenderunt, novum insolitumve Germanicæ lingvæ populis non esse, ut nati in provinciâ unâ, in alterâ sortiantur domicilium, & legitimè vocati muneribus fungantur non minus Ecclesiasticis quam civilibus; quoniam utcumque discreti ditionibus, ob arctissimum vinculum nominis, sanguinis ac sermonis, Germaniam pro communi habent patriâ. Cum autem sic se res habeat, quæ potest esse culpa Comitum, si in sui juris terrâ natus quis, sollicitantibus in proximo Belgis, sacra docendi munus apud eos capebat, magis quam reliqui

Teutonici soli Dynastæ per omnem Germaniam, penes quos idem fieri videmus quotidie? Scilicet, quos ortu liberos fecit fors & communis conditio patriæ, eos terræ adfixos adscriptosve glebæ reddi non patitur Comitis iustitia. Jussu autem Comitis, suorum quæquam exercuisse apud Hispanici juris Belgas sacerdotii munus, tam est improbabile, quam perspicuum, nullum ei competere jubendi jus in Belgio. Quod verò Ostfrisii quidam sacerdotes, novam diuque passim receptæ contrariam doctrinam sparserint, tam idem est extra culpam Comitis, quam quod illic docuerant. Et quod in ipsius urbibus ac agris vigens religio arguitur novâ, nescit Comes quo fiat jure, nisi eo, quo Romana curia sibi decernendum sumit, omne id tanquam novum ac hæreticum repudiandum, quod ipsius non convenit placitis: quæ utinam magis convenirent Germanæ antiquitati, certè novarum nunc minus per orbem Christianum esset perturbationum ac cladum, nec orthodoxi pro hæreticis, nec publicæ libertatis vindices, qualis Auriacus, haberentur pro perduellibus. Persvaderi enim sibi non patitur Comes, esse id novum, quod examuffim convenit CHRISTI Apostolorumque ejus scitis ac præceptis, roboratis, inde à remotissimâ antiqui fœderis memoriâ, patrum & adflatorum divinitus vatum autoritate atque in unum consentientibus testimoniis. Quam vetustatem quæ dogmata redolent, nescire se fatetur Comes, quo vultu, tanquam nova & nuper conficta, traduci possint apud non ignaros genuinæ vetustatis homines. Sanè, in Divinis illis scriptoribus, nulla usquam adparet memoria Papæ Cardinaliumve, quibus pro lubitu quidvis jubentibus prohibentibusque, cæcum ubivis præstandum sit obsequium. Si autem nec nova, nec à CHRISTI, sanctorum Apostolorum, Divinorumque ejus Prophetarum sanctionibus dissident quæ illi docent, & ab his erudiendi discunt, cur tot tantisque suppliciis nullius sceleris comperti, nullius erroris verè convicti, rapiuntur ad rogos ferreamque aciem Carnificum? Cum igni aquâque eis interdiciatur in solo patrio, quis ita inhumanus ac ferus, ut nullo suo merito extorribus & nudis, suum focum suumque larem commodare aliquantisper recuset, præcipuè quum beneficam manum omnibus porrigi CHRISTUS jubeat, maximè autem ejusdem in DEUM fidei confortibus? Non præbent autem sui hospitia exulibus Belgis, ut aut Regi Hispaniæ, aut Ministro ejus Duci agrè faciant; sed ut officia humanitatis expleant, quod fieri DEUS naturæ-

que conveniens benignitatis lex præcipit. Quænam verò lex exigit, ut quos velut hostes immaniter persequuntur Hispani, eosdem Cæsareis legibus obnoxii Frisones eodem loco habeant? Equidem, Passaviensis pace, constitutâ jam ante annos viginti, libertas securitasque indulta est, non Protestantium minus quam Papalem religionem profitentibus, utcunque ea displiceat Hispanis, quorum obsequi dictatis, nescio, ait Comes, quæ Frisios lex obliget. Nam si quam sibi sumunt potestatem, adversus vetera gentis privilegia ac jura, decernendi de Belgarum in DEUM fide, & in Regem obsequio, eandem in vicinos Ostfrisios usurpandam autument, nescire se ait Comes, quo colore juris id pingi queat, nisi eo, quod viribus ac armis superiores in invalidos sibi præter fas ex more arrogat. Non hominum sed DEI est, humanis dominari conscientiis. Sanè, veritate sanctitateque censenda est religio, non longâ malè deceptorum Majorum adfvetudine. Neque semper nova deteriora veteribus. Quis subæratum nummum veterem præferri volet novo verè aureo? Quis pani hesterno vetustate mucidum? Quis vino recenti meracoque, quod senium in acetum vappamque converterat? Cumque se sic res habeat, colique Albanus & assæclæ jubeant DEUM contrario quam ipse præceperat ritu modoque, videre credit Comes haud absônè pios, plus ne obsequi conveniat DEO an hominibus. Et nuper in Comitiiis Imperialibus agnoverunt haud pauci Ordinum, futura fuisse his oris pacatiora omnia, si pax permessa foret piorum conscientiis. Atque id planissimum factum contenderunt, & Belgicorum Ordinum ad Hispaniæ Regem libellis supplicibus, & pro diluendo rebellionis impacto crimine evulgatis Auriaci Belgarumque se conjungentium scriptis apologeticis. Sanè, si vis abesset animis, utcunque aliàs haberentur duriter, strepitus armorum conticesceret. Adseverâruntque insuper, diram esse religionem, quæ crudeli studio animas non servatum it sed perditum. Quos hæresi infectos tollit inquisitoris gladius, respiscendi spatium denegat, Orcoque mactat victimas per sævitiam, quos ferendo, docendoque jugiter, cælo posset inferere cives per lenitatem ac propriam Christianis mansvetudinem. Hæresios errorumque malo, velut infesto sidere adflati sunt quidam leviter: Quorundam non cutem tantum extimam, sed fibras quoque pervasit & viscera, ut illos brevi spatio, ita hos non sine temporis aliquâ morâ sanaveris. Qui hodie tuis obstrepit sensibus, post mensem annumve unum aut pluscu-

los, bonis superatus rationibus, suum tibi dabit calculum, utile exemplum præbiturus aliis, ne similem sequantur pervicaciam. Sed qui tortore non Doctore opus esse censent ad eximendos animis errores mortiferos, malos imitantur Medicos, qui morbos morâ sariabiles, igne ferroque malunt repente tollere, quam prudenter cunctando, superare consiliis. Ubi docendo rectè, vivendoque piè, officium facit Ecclesiastes ac Doctor, ibi locus urendi secandique lectori non supererit. Nec tales à Magistratibus impetratos, aliundeve adscitos, per gentes convertendas circumtulisse usquam legitur CHRISTUS, ejus Apostoli, aut in locum Apostolorum surrogati viri Apostolici. CHRISTUS equidem, utcunque vitæ omnium ac singulorum summus arbiter, ore miti profitetur, non perditum sed servatum se venisse animas mortalium, destructumque, non homines, sed in ipsis opera ac regnum diaboli. Et cum succensentes quidam discipuli inhumanitati Samariticæ ditionis civium, ignem, quo absumerentur, è cœlo deprecere vellent, graviter eos reprehendit, dicens: nescitis, ista molientes, quo spiritu ducamini, Filius enim hominis venit, ut humanas animas servet, non perdat. Postea, Magistro cœlos petente, cum docturi mundum circumirent Apostoli & discipuli, vix semel iterumve usi leguntur vi quâ pollebant edendi miracula, ad necandos eos, qui vel dogmatum portentis, vel vitæ flagitiis cursui Evangelii quocquam modo obfisterent. Si uti voluissent, tulissent è medio Tyrannos, ne Evangelii præcones ipsi tollerent. Diffidit autem causæ, qui armis disceptandam putat rem decernendam rationibus. Certè, CHRISTUS vetuit gladio accingi circumlaturus doctrinam sui Evangelii; vetuit manum conferri cum pertinacibus, quando argumentis nequeant superari. Decet servum Domini sui vestigiis insistere, non esse pugnacem, sed placidum ac mitem erga omnes. Si nodum quem solido ratiocinio nequit solvere, dissecare parat gladio, quid aliud agit, quam pugnandi accendit rabiem, eoque perducit rem, ut vulnera vulneribus, cædes cædibus pensentur? Equidem, donec errasse persvaserit à quibus sententiâ dissidet, non erit sincera in partes ipsius concessio. Quamdiu minis agit & terroribus, gliscet sua mordicustuendi pervicacia, maletque, sententiæ ejus obnitens, vitam amittere, quam pati, ut cum remorsu conscientiæ absurda credendi necessitatem ei queat imponere. Quisquis verum se tueri putat, mortis irrogationem habet pro martyrio. Quæ itaque alios credere voles, gravi

gravi modestaque oratione persuadeto, ritè persuasis usus pro arbitrio. Nusquam ille mitissimi pectoris Magister dicit, quotquot doctrinas monitusve vestros non amplexantur, aut ob eosdem non receptos, vi intentatâ, aliunde ad vos confugiunt, prehensos urite, secate, mergite: à quâ immanitate in supplices, & nullâ suâ culpâ calamitatibus pressos, solo rationis ductu, abhorruisse leguntur etiam ethnici. Notum est responsum Admeti Molossorum Regis, Atheniensibus & Lacedæmoniis Themistoclem exposcentibus datum his verbis: *Se nullos hominum odio prosequi, sed timere DEUM, cui servati supplicis beneficium, cunctis victimis gratius donum existimet.* Vox divino adflatu fusa, & per os ejus à Naturâ justî verissimâ interprete prolata. *Quid enim tam Regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare adfectos, dare salutem, liberare periculis, in civitate. retinere homines domo bonisque suis exactos, ut ex ore eloquentiæ Tullius alicubi differit? Isthæc Divinarum humanarumque legum æquissimis placitis exactè convenire quum Comiti ejusque civibus sit persuasissimum, non videre se ajunt Legati, quo successu, contraria Hispanici Regis jussa his possint præcineri, qui illud Hispanorum quondam sapientissimi mox occinent: *Rex justa imperet, nemo non eadem volet.* Verti in supervitio sibi queritur Comes, quod Ludovico Nassovio pecuniam ad impugnandos Hispanos concesserat: quod ipse à se factum recordari nequit. Diffiteri quidem haud sustinet, accepisse Nassovium à se pecuniam, ob certas ab eo acceptas res, diu ante hos tumultus debitam, quam ei non solvi nefas fuerat: Si solutam eos in usum converterat, de quibus Dux queritur, tam extra culpam Comes est, quam quod se armaverat adversus Ducem, non permittentem, ut ait Nassovius, aliter testari fidem in Regem, quam sacrilegâ in DEUM perfidiâ. Isti Nassovio, profligato ab Hispanis semel atque iterum, si qui civium Comitibus subvexerint necessaria, submissisve ratibus & navibus subduxerint extremæ cladis discrimini, factum est id injussu Comitibus, voluntariâ in civibus miseratione fortis calamitosorum ob vera colendi studium. Quam suorum in alienos cives pietatem poenis prosequi Comiti visum non tantum poenâ dignum ac impium, sed etiam supervacaneum; cum sciat horum benè multos haud effugisse manus carnificum. Sufficere Comiti ad innocentiam, quod sibi subditis neque jusserit neque prohibuerit subvenire oppressis, ad quos suâ ope sublevandos illi Divinâ se lege*

lege teneri arbitrati sunt. Miserari se fortem suorum, quibus illud pietatis plenum alienos juvandi studium tanto constiterit, ut alienæ salutis cupidi, suæ prodigi, in auxiliandi proposito deprehensi ab Hispanis, spiritum miserentem inter non miserentium tormenta ponere haud rarò debuerint. Indigna passi, quum nisi exulibus sponte advexissent necessaria, per vim armati extorsissent eadem. Habet quippe armis instructus miles proximum quemque pro hoste, qui commeatum, quo abundat, negat pro pecuniâ. Imò, aliter in domesticarum rerum copiâ, laboraturi erant Ostfrisii rerum aliunde petendarum summâ inopiâ, quum prædatoriæ sedibus pulsorum naves, obsidentes eorum omnes portus ac maria, non permitturæ essent, aut domi nata quoquam efferri, aut peregrè petita advehi. Si, quod Dux queritur, aut Ostfrisiorum aliqui in prædantium classe meruerant stipendia, aut ex Orthensi castro, missilibus impetierant prætereuntium Hispanorum agmen, factum id sine scitu iussuque Comitum, ut qui conqueritur, in fraternis de imperandi jure certaminibus, multa diu accidisse, atque etiam nunc accidere, quæ, tantum abest ipse jussisset, ut facta fierique adhuc vehementer doleat. Quare cum hæc ita se haberent, & sui Regis, & Ostfrisii Comitum nomine peramanter rogârunt Legati, ne ea Dux inclutus Edzardo Comiti imputaret, quæ, ne fierent, impedire nullo pacto potuerat, abnuentibus civium plurimis obsequia, per diuturnas jam de jubendi prohibendique summâ potestate fratrum discordias. Quin si quâ re Ducem Comes offenderat, in honorem intercessionis Regiæ, intuituque causarum, de quibus dixerant, non armis, sed jure experiri cum ipso vellet. Quippe non permissuram pietatem Regis in sororem, ad finem, horumque liberos, ut armis oppressi, libertate multati, terris bonisque suis exuti, eosdem ferre cogantur accusatores ac iudices. His licet Dux non adquiesceret, nihil tamen reposuit aliud, quam plurimum damni accepisse suum Regem ex terris Ostfrisiorum Comitum, illud subinde repetens, de repertis Ludovici Nassovii literis, in quibus fassus, pecuniâ Comitum adjutum se in conducendo adversus Hispanos milite: tandem adjiciens, rogatu suo factum, ut Cæsar examen negotii quibusdam principibus Imperii viris, è quorum numero Monasteriensis Episcopus, commiserit, quibus incumbat, utrinque allata, expensâ fidei testium, integrè referre ad Cæsarem, ex istis laturum sententiam. Cum

qve die currentis jam mensis nona decimâ, dicti Commissarii in Bre-
menſi urbe convenerint, acquieturum ſe fini, qvem diſceptatâ liti Cæ-
ſaris æqvitas ſit impoſitura. Hoc accepto reſponſo, per qvendam fi-
dum Duci conſiliarium cognoverunt Legati, non in animo eſſe Duci,
ſic cognitam litem referri ad Ordinarium tribunal Spirenſis Cameræ,
ſed id agere, ut auditis teſtibus, perpenniſqve partium rationibus, Cæſar
ipſe, pro Rege Hiſpaniæ, Duceqve Albano, adverſus Offriſios Co-
mites pronunciaret ſententiam, cui executioni mandandæ Albanus
ipſe commodaturus ſit manum. Iſtis cognitis, maturè Comiti Edzar-
do perſcribunt Legati omnia, adjecto conſilio ſalubri, diſturbaturo
Albani molimina: ſimulqve literis compellant Monafterienſem Epi-
ſcopum, pro amore propinqvitateqve ſanguinis, provideret per eum,
cui Brema partes ſuas delegaverat, ne Edzardo quid fiat per vim, re-
pudiatâ ſolemni receptaqve per Germanicum Imperium judiciorum
formulâ. Dimanârât hoc tempore rumor per ora omnium in Belgio,
clam machinari aliquid Ducem in Embdam urbem Comitum præci-
pnam, qvam rem Duci ſubindicatam à Legatis, ille exploſit, velut in
famæ ſuæ injuriam a malevolis conſictam fabulam: qvæ tamen vim ve-
ri obtinens apud Comitem Johannem, fecit, ut firmum urbi præſidium
impoſuerit, eidemqve adſuerit aſſiduus, præſentiâ eliſurus conſilia co-
natusqve, ſi qui emicarent, hoſtium; qvæ vigil ejus cura, emptaqve
proditio Præfecti Jeverenſis (qui cervicem præbiturus, ab eâ labe im-
munem pronunciavit Edzardum) fecit, ut ipſe qvam frater longè Du-
ci eſſet inviſior. Digreſſuris tandem ab Albano Legatis, poſt exhibitâ
non pauca benevoli amoris pignora alia, etiam illud exſtare voluit
Dux, qvò ore ſuo iter in Hiſpaniam diſſaſerit, perinde ac Epicoſus
Monafterienſis, aliqve benè cupientes Legatis prius fecerant, ad evi-
tanda cum pericula alia, tum inqviſitionis Hiſpanicæ gravem moleſti-
am. Pollicitusqve Dux, ſi illic curanda negotia ſuæ fidei permitte-
rent, futurum, ut huc reverſi ex Galliâ, ſui Regis reſponſum habituri

d. 30. Martii. ſint per literas. Hæc die penultimâ mensis Martii Bruxellis acta ſunt,
unde, propter aquarum ex liqvatis nivibus ingentem copiam, reddend-
d. 27. Aprilis. tem itinera moleſtiſſima, atqve impedimenta alia, ante diem vigefi-
mam ſeptimam mensis ſeqventis, non licuit verſus Galliam progredi.

Legatio Galli-
cana.

Qvò poſt paucos dies perlati eqvis pernicious, Blœſis Carolum Nonum
Regem, Reginam matrem Catharinam Medicæam, Henricumqve Na-

varrâ Principem, postea ejus nominis Quartum Gallorum Regem, deprehenderunt. His nomine sui Regis diligentissimè salutatis, exhibitisque fidei habendæ literis, Regi quidem gratias egerunt verbis amplissimis, quod egregiâ operâ Caroli Danzæi viri illustri, pacem Stettini inter Svecos Danosque, & Lubecenses Danorum socios, confici curaverit, cujus in Regem officii, in Regnum Sveo-Gothicum benevolentia, gratam adque similia amoris mutui officia promptam in Serenissimum Gallorum Regem, fratrem ac consanguineum suum, nec non regnum ejus, promittunt Regem suum semper servaturum memoriam. Ostendentes, secus quam ab inimicis sparsum in vulgus, Regem Sveonum semper pacis fuisse cupidissimum, sed honestæ ac civibus utilis, quæ verbis apertis insidiosive pactionem nullam servitutis contineat. Dein de causis exautorati Erici Regis disseruerunt Legati, docentes, non ex imperii cupidine, nec novandarum rerum studio, quicquam hic actum esse à Rege ac civibus, sed amore tantum firmandi publicam salutem tranquillitatemque communis patriæ, cui adversabantur multa hujus Principis molimina: quem improbi quidam consilarii, semel abductum à Regiarum virtutum tramite, ad vim vi, & injurias injuriis defendendas perpulere; quod fieri necessum est, quotiens ab æquo bonoque malè disceditur. Hinc ad colligandos arctiore vinculo amoris Regum civiumque utrinque animos, agunt de innovandis confirmandisque inter Majores constitutis, religioseque in hunc diem servatis, & non minore in posterum integritate servandis fœderibus, promptum sui Regis animum obtulere. Postremò, & hic actum de intermittendâ aliquantisper à Gallis navigatione Narvicâ, donec cum Moscho pax posset refici. Reginam verò Matrem convenerunt Legati nomine & literis Reginæ Svecicæ Catharinæ è stirpe Jagellonicâ, prosperum rerum ejus statum narrantes, & post vota felicitatis, in sororem ac consanguineam, ut se Reginæ compellârunt mutuo, plena amoris studia. Apud Navarrenum Principem, post depictam ad vivum rerum Sveciæ faciem, quam deturpare ubivis nitentur rerum ignari quidam & malevoli, ob exautorati à Rege fratris, ut volebant, maculam: quam Legati diluerunt liqore veri, adfertâ Regis civiumque Regni hujus integritate ac innocentia. Quibus adstructis, hujus Principis ex ambitum obtinuerunt amorem ac benevolentiam. Sed non minores grates reposuit Regi Sveciæ, fratri ac

confanguineo perdilecto, ut adpellat Rex Gallia, tam ob plenam amoris ac benevolentia foederibus roborandis innovandisque oblatam amicitiam, quam eximia opere ipso amicitia specimina, conciliatis non ita pridem, per suorum Legatorum industriam, ipsi Regi cum Elisabetha Maximiliani Caesaris filia, & Principi Navarreno, cum Margareta sua sorore, nuptiis, quibus propediem consummandis dies constitutus sit. Quae, ut significabat sibi gratissima, ita nihil habiturum se prius aut antiquius, quam in Regem Sveciae, ejusque ditiones ac populos, omnem testari amorem, benevolentiam ac gratiam. Profitebatur etiam Rex Gallia, singularem se percepisse voluptatem, ex fide & integritate Ministri sui Danzae in Svecos Danosque in restitutione pacis negotio, quam cum omni alia prosperitate Sveciae optaret perpetuam. Hinc ad renovanda vetera cum Svecis foedera, plenam dedit Danzae, in Daniam res Gallicas tum agenti, potestatem, addendique & demendi ea quae utrinque viderentur praesenti rerum statui consentanea. Restitutionem navis Gallicae, in mari Baltico interceptae, Regi oblatam per literas Regias, grato excepit animo. Insuper, de bello, quod medicaretur in Hispanici juris provincias Belgicas, docere voluit Legatos, suscipi ad procurandam pacem communem vicinis omnibus Regibus ac populis, de quo longè alia postmodum haud temerè tradiderant quidam scriptores rerum Galliae. Intermittendam suis navigationem Narvicam, renuit Rex adeò, cum repugnare id antiquis foederibus contenderet; prohibitorium tamen, ne quid eò ferrent legibus pactorum contraria. Tandem, gratulatus Sveci Gallus firmati feliciter solii decus, ostendit, nil sibi curae cordique futurum de caetero magis, quam ut Sveonum Regi, ejusque civibus ac terris, omnia à se suisque praestari possint benigni amoris officia, qualia sibi suisque à Svecis ubivis polliceretur, ex veteri renovandaque jam foederum formulâ. Eodem spectarunt, quae loco responsi à Regina Matre, Navarræque Principe Legati tulere. His peractis, Blæsis dimissi sunt perhumaniter die mensis Maji tertiâ. Non multis diebus post, Rex Hispaniae literis postulatisque Regis Sveciae, totidem ac hic trademus verbis, respondit per literas, quas è manu Albani receperunt Legati, aliquantò post reversi ex Galliis. Philippus DEI gratiâ Rex,, Hispaniarum, utriusque Siciliae ac Jerusalem &c. Serenissimo Prin-,, eipi Joanni Tertio, Svecorum, Gotthorum, Wandalorum &c. Regi,,

d. 3. Maji.

d. 20. Maji.

con-

consanguineo & amico carissimo salutem , & prosperum rerum omnium successum. Accepimus literas Serenitatis Vestræ VI. Octobris Anno Domini M. D. LXXI. datas ; Quibus quidem, quoniam Legatos suos, Nobiles ac generosos viros, D. Pontium DelaGardie Baronem de Echolm, Aulæ suæ Magistrum, & Claudium Bielke Aulicum suum, benignè accipi & audiri, fidemque illis super Serenitatis Vestræ, & regni sui negotiis, adhiberi, comiterque, & cum bono & amico responso ad se remitti, Serenitas Vestra postulat: Non potuimus omittere, quin statim responderemus, & quantum opere pristinam amicitiam colere, veteraque fœdera ac pacta servare cupimus, ostenderemus. Et verò visis iis, quæ apud Ducem Albanum, Germaniæ nostræ inferioris Præfectum proposuerunt, quæque ille nomine nostro ad ea respondit, summam imprimis gratiam habemus Serenitati Vestræ, de suis tam amicis, & verè fraternis officiis, quibus equidem nos omnibus modis responsuros, nullamque unquam partem studii & officii in mutuâ benevolentiam veterique amicitiam fovendam ac conservandam prætermitturos, certò sibi persuadere poterit. Ratum porrò habentes, quod supradictis Serenitatis Vestræ Legatis ab dicto Albano Duce nomine nostro responsum est, & eandem Serenitatem Vestram rogantes, ut quod subditis nostris, pro meritiis suis, ac maximè quidem sale, tempore belli in arce Stocholmensi tradito, & in utilitatem publicam converso, aliquaque ex parte soluto, legitime debetur, persolvatur, aut certè eo nomine satisfiat. DEUS Optimus Maximus, servet Serenitatem Vestram salvam, & incolumem, eamque omnibus rebus augeat & amplifcet. Madriti XX. Maji. M. D. LXXII.

Serenitatis Vestræ amicus & consanguineus

PHILIPPUS. m. p.

Has literas, ut dictum, post expeditas in Galliam res, Albanus Legatus reddidit, eò redire coactis ambitu longo per Lotharingiam & Germaniam, interceptis jam motu bellorum cunctis viarum compendiis. Fuitque hæc causa, cur ante adultum propè mensem Augustum in Belgium & Ostfrisiâ reverti non poterant, de quo mox è castro Orthensisd. 12. Augusti. Ostfrisiâ, pridie Idus Sextiles, Regem certiore reddiderunt, moram

reditus excusaturi per literas. Et fuit sanè hac ipsâ ætate rerum Belgii Galliarque status perturbatissimus. Utroque enim, ob immanem Romanæ religionis sectatorum crudelitatem, cives in duas scissi partes Papicolarum & Calvinisequarum, quorum hi, sibimet Reformati, Belgis Geusii, Gallis Hugonottæ dicebantur, omni se invicem genere eladis attriverunt. Ad has inferendas arcendasque, cum utrisque conductus miles agminatim adflueret ex Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, Germaniâ, Lotharingiâ, in communem pugnæ arenam Belgium, factum est, ut in his oris, inter infestas acies huc illucque tendentium, iter esset omnium periculosissimum. Certè, inter has evasisse incolumem, opus fuit non vulgaris cautionis & prudentiæ. Apud Belgas quidem, Albanus Dux, præter Hispanicæ inquisitionis animabus perdendis libertatiqve adimendæ adhibitum malum, decimas etiam rerum omnium exigebat. Has cum pauci penderent, plures abnuerent, à precibus ad minas, à minis ad vim, à vi ad bellum apertum perventum est, gestumque eo successu, ut hinc Mauritius Auriacus Princeps, inde Comes Ludovicus Nassovius ejus frater, aliaque parte Bergenfis Comes, potiore Belgii parte Albano extortâ, Geusius libertatem reddiderint, & anno sequenti vertente, solum vertere Albanum coegerint. Galli autem Papicolæ, post acceptas datasque diu multas strages, Hugonottis, cum vi non possent, dolis struunt exitium. Quippe pace cum his initâ,

d. 18. Augusti. redditaque religionis libertate conscientis, autores fuere Regi, ut, quoniam iisdem ferè diebus, quibus ad Belgas redierunt Legati, Navarreno Principi sororiqve suæ solemnes pararet nuptias, ad has utriusque sectæ Primores, literis & nunciis invitaret quam diligentissimè, atque eò velut in casses perductos Hugonottas, tuti itus reditusque literis, non unâ Regis dejectione firmatis fidentes, uno impetu cum sequaci plebe conficeret, atque inter festivos post geniales epulas ludos, latis in nitiis coeptam, funesto fine terminatam daret tragœdiam. Successit fraus, simulamine amoris & perjuriis circumveniens malè credulos. Ammiralis Colinius prima cecidit diri furoris victima. Hinc velut lymphati, sublatoque ad scelera signo, feruntur ad indagine extractorum promiscuam cædem virorum ac mulierum, senum ac juvenum, puerorum etiam ac infantium, ut Lutetiorum lutum cæсорum sanguine non rubuerit tantum, sed permixtos interemptorum cruore, fanie taboque rivos, devolverit in urbana eluëntem Sequanam, sed non æternam

nam inauditi facinoris infamiam. Per cæteras Regni provincias ac urbes, eâdem rabie, sine miseratione ullâ ætatis sexusve, paucis diebus, triginta hominum millia, vel plus, ob sola circa religionem dissidia, necata sunt. Lanienam hanc, sine scitu suo factam, per sacra omnia sæpius dejerans Rex, sub initium tumultus contendit: mox confecto quod cupierat, perpetratae gloriam sibi suisque consiliis, vulgatis etiam per provincias eâ de re programmatibus, adseruit. Paulò prius quam hæc fierent (siebant autem die Bartholomæo sacrâ, quæ Augusti men- d.24. Augusti, sis quarta est & vicesima) Geusius in Belgio periclitantibus, delectas ex Hugonottis submisit copias, specie opem ferendi afflictis bello, reverrà, ut domi relictos Hugonottas eximiâ privaret parte virium, & submissos objectaret quo perirent discrimini, clam de ipsorum adventu submonitis hostibus, quorum ferro contrucidati, proditi ferali popularium scelere. Ob dejectos hoc pacto per Galliam Hugonottas, instituto Jubilæo lætitiâ Pontifex testatus est; quid factururus hodie, propter abolitas penè horum reliquias per Gallie nominis provincias? Sed hæc perstrinxisse magis quam narrâsse hic suffecerit, ut pateat difficultas reditus Legatorum in Belgium: simulque, quum tanta fuerint hoc tempore de religionè dissidentium in Galliis, Belgio, Hispaniisque plena odiis certamina, perspicuum sit, cur ipsi in Hispanias sibi eundem non duxerint. Estque memorabile, quod Legatis in Ostfrisiâ circa finem anni præcedentis agentibus in Hispaniâ accidisse, suis ad Regem literis in Sveciam perscribere. Nempe anno superiore, die mensis Septembris quartâ, cum natus esset Philippo Secundo Regi, ex quartâ conjugè Annâ Maximiliani Secundi Cæsaris filiâ, Ferdinandus filius, qui ferè quinquennis postmodum obiit, Matri gratulabundos adparuisse, præter alios sacri Ordinis viros, etiam hæreticæ pravitatis inquisitorio, ut vocant, munere tremendos aliquot, cum oblatione munerum, quæ ipsa quidem modestè repudians, precata sit, ne rem unam vehementer expetitam denegarent. Ipsis annuentibus, cunctanter tamen; narrat: Se, cum primum tenderet in Hispaniam, vovisse DEO, si bonitate ejus, filius hæres à Rege marito obtingeret, procuraturam his libertatem, qui ob religionem clausi tenerentur carceribus. Id se nunc rogare unicum, ne voti rea ingrata vivat benignissimo Numini. Pro iis tamen non intercedere, qui, præterquam quod à Romanis sacris alieni, etiam enormis criminis convicti sint. Illi obstupefacti in-

exspe-

expectatâ prece , non nisi peragrè gnaviter instanti dederunt adsensum : Quâ occasione , ingentem se vidisse memorârunt compedibus solutis Belgio excedentium numerum , elucescente simul , & Reginae in propè non suâ culpâ miseros miserationis plena pietate , & Inquisitorum in id genus homines rigore sævo flectiqve nescio. Qvi quidem Hispaniæ Regem multavit bonâ parte Belgii , postquam unitæ aliquam multæ ejus provinciæ , libertatis dulcedine semel degustatâ , missos in decedentis Albani locum gubernatores aut non recepere , aut iis conditionibus recipiendos censuere , quibus vim omnem dominantium convulsissent. Albani autem regressus in Hispaniam , magno metu liberavit non Belgas tantum , sed & vicinos eis Ostfrisiæ Comites , quos , ob purioris religionis amorem , humanitatemque in afflictos ejus gratia , ille summo prosequeretur odio. Fuissentque res Comitum in maximo discrimine , si odio par successus subversura Belgas consilia promovisset. Quod quum præviderent Legati jam repetituri Sveciam , cum Monasteriensi Episcopo convenerunt , ut si qua Comitibus vis intentaretur , medium se rebus interponeret , ageretque id omni studio , ne forori Regis , marito Comiti , ipsorumque liberis quid ab Albano gravius fieret. Eaque de causâ , quoties ab Albano compellaretur Episcopus , ut velut cæteri vicini Principes , ad compescendos rebelles , ipsi auxiliares copias mitteret , amicè respondit , malè id convenire suo muneri , cui docere non bellare à sacris Canonibus injunctum sit. Præter isthæc , seorsim etiam mandatum Legatis , ut , si in quos inciderent viros sollertes opificio , qui domicilium figentes in Sveciâ , artes indigenis tradere vellent , eos , promissâ trium annorum immunitate ab omni tributorum ac vectigalium onere , secum adducerent. Vidit enim Regum prudentissimus , non sine ingenti damno rerum Sveciæ , hujus generis artes in hoc regno negligi , quæ licet sordidæ dispretæque habeantur multis , tales tamen sunt , ut carere eis commodè nequeat Respublica. Imò istarum sedulo cultu floret mirificè. Atque si quod Regnum uberem præbet opificibus artium exercendarum materiem , id certè præstat Svecia. Præter enim metalla omnis generis , æs , orichalcum , ferrum , chalybem , stannum , plumbum , & cætera quæ montibus & terris eruntur , *alœn* , nitrum , sulphur , bitumen , quæque aër , sylvæ , aquæ , atque degentia in his animantia suppeditant , nulla propè est regio , quæ majore copiâ præbeat ea , quibus occupari perficique potest opificum indu-

industria, nulla quæ suis opibus uti magis negligat, ut cunqve nulla etiam magis polleat ingenio capace artium istiusmodi. Sic ritè expeditis omnibus quæ Legatorum mandata fidei, per interpositas terras tendunt Lubecam, atqve inde conscensis navibus per mare in Sveciam, excepti summâ Regis gratiâ. Reverso jam Ponto denuò supremum curandæ Regiæ aulæ munus Aulici Mareschalli titulo committitur, cui solitâ præest fide ac industriâ usqve in postremos anni sequentis menses, cum *An. 1573.*
libuit Regi, post sollertiæ civilis recentia specimina, militaris iterum *d. 30. Sept.*
exercendæ benignam præbere materiam, quam uberem obtulit Livonia provincia nobilis, diu jam crudeliter vexata Moschici Principis favâ libidine, cui refrænandæ virtutem Ponti objici voluit prudens ingeniorum æstimator Rex, insigni provisu Numinis. Sed prius quam de Ponti in Livoniâ rebus dixerò, repeti debet paulò altiùs narratio, ut videri possit, quam hoc fuerit tempore, quam florentibus olim rebus, ejus conditio deterior. Qui fuerat olim status Livoniæ, sub Sveciæ Holmgardiæqve seu Ostrogardiæ Regum imperio, prius quam Christianâ religione imbuti essent ejus incolæ, fere in finem seculi post CHRISTUM natum duodecimi, obiter dictum fuit superius: Nunc adtexere libet, quâ occasione, & quo successu, doctrinam CHRISTI admiserit colueritqve, in illud tempus, cum jure quasi postliminii, ad reverentiam imperii Svecici, revocari occiperet. Anno CHRISTI *An. 1157.*
M. C. L. VII. Alexandri Tertii Pontificis Episcoporumqve Sveciæ hor-
tatu, Fennos CHRISTI suoqve Regno subjecit Ericus Nonus seu Sanctus Rex Sveciæ, interpositum omne inter Sveciam, Finniam Livoni-
amqve mare purgans piratis, ut tutò ei adpositas terras mercatores ad-
ire potuerint, eò advehentes, non merces tantum, sed sacerdotes
qvoqve & Monachos, omni merce pretiosiore populis ferentes an-
nunciationem Divini Evangelii. Sic circa annum CHRISTI M. C. LX. *An. 1160.*
vivente adhuc dicto Sveonum Rege, Alexander Tertius Papa, per lite-
ras, à Nidrosiensi Archiepiscopo, & Stavagriensi Præsule, Nicolaum
qvendam, apud ipsos tum constitutum Monachum, gente Esthonem,
impetrat, cujus operâ, in illâ gente convertendâ uteretur Fulco, tum
Esthonum Episcopus. Nec diu post, aliis literis, idem Papa meminit
Julii Esthonum Episcopi, rogans, ut, necessariis suppeditatis, regnorum
Scandiæ Episcopi, ejus sublevarent inopiam, &, bello illato, Princi-
pes subigerent CHRISTO renitentem Esthonum pervicaciam, ut alibi

forſan plenius docebimus. Atque eodem anno, cum Lettis, ac Livonia cæteris habitatoribus, commercia exercendi, Germanicasque eò colonias deducendi, primus aditus patefactus eſt, per Bremenſes quosdam mercatores, tempeſtate in ſinum Livoniæ ad Dunæ oſtium perlatos, qui cum littoralis Livoniæ incolis, inde à dicto oſtio Pernoviam uſque, amicitiam & fœdera, pro ſe & mercatoribus, quos deinceps adducturi erant, fecerunt, inter quos permutatione rerum, prima mercimonia culta ſunt, atque, permittentibus Livis, Sacellum exſtructum in Dunæ fluminis inſulâ, cui inde nomen Kirkholma impoſitum. Paulò poſt, Menhardo Segebergenſi Monacho, per mercatores in eaſdem Livoniæ partes adducto, etiam religio CHRISTI pandi cœpit populis. Cumque mox inter cæteros converſi eſſent quidam Domini terræ, tum dicti Reguli, cum familiis, Episcopum petentibus illis, dictus Menhardus, per eundem Alexandrum Papam, decimo poſt primum mercatorum adpulſum anno, datus eſt. Huic in Uxkel, ad ripam Dunæ, ſedes obtigit, ubi diem obiit. Illi ſucceſſit Bartholdus Lochaw, è monaſterio S. Pauli Bremâ miſſus, vi & armis potius cogens, quam verbo ac exemplis invitans ad fidem Chriſtianam incolas. Anno M. C. XCVI. prima ille jecit fundamenta urbis Rigenſis, quam Livones augurati damno futuram libertati ſuæ, trucidato Episcopo, diruerunt funditus. Bartholdo ſufficitur eodem anno Albertus *Burhoeden* (cujus familiæ etiamnum ſuperſunt illuſtres viri in Livoniâ) ex collegio Bremenſi evocatus, eò ſecum traducens cognatos nobiles Engelbertum & Theodoricum Tiſenhuſios (quorum etiam diu illic claruerunt poſteri) utili fidæque ipſorum uſus operâ, cum res poſceret. Is Albertus, urbem everſam, anno M. CC. reſtauravit, murisque cinxit, ut firmum eſſet ſibi ſucceſſurisque Episcopis, adverſus fortuita præſidium. Sed cum cerneret, metu libertatis amittendæ, agrè Episcopos doctrinamque Chriſtianam admiſſuros gentis Regulos, anno M. CC. IV. ſacrum, ut vocant, adſcivit Enſiferorum Equitum Ordinem, cujus illic primus Magiſter ſeu Dux fuit Vinno, Vinandus à Rorbach dictus Menio, ut, quos vi verbi non poſſet, armis ad recipienda Pontificia ſacra, compelleret. Vinno mox Hermannum fratrem Lehalenſem Episcopum conſtituit, cujus templum Hapſaliam deinceps, & Episcopalis ſedes in Oſliam translata eſt. Utque non autoritate minore quam vi deſtinata procederent, anno M. CC. VI. rogatu haud dubiè Alberti, Innocen-

*An. 1170.**An. 1196.**An. 1200.**An. 1204.**An. 1206.*

tius Tertius Papa, Wilhelmum Mutinensem Episcopum Legati titulo illuc ablegat, qui, non urbem tantum cum templis, sed Episcopos quoque Ensisferumque Ordinem à se inauguratam confirmat, editâ lege, de dividendis inter Episcopos Equitesque subactarum subigendarumque gentium terris, nec non constitutione unius & viginti capitum, ad cuius præscriptum, & urbem, & urbi vicinos agros incolentium res, donec aliter visum foret Pontifici, qui ejus terrâ se ferebat Dominum, administrarentur. Hic Vinno, ad continendos in obsequio agrestes, oppida Wendam, Segenwoldum, Asceradum, postea condidit. Vix digressio Legato Pontificis, Vieseus, Russorum Dux, Kâkenhusiæ sedem habens, Alberti opem adversus Lithuanos implorans, dimidiam arcis ac ditionis suæ partem Episcopo pignoris loco tradidit. Sed profligatis Lithuanis, cum anno M. CC. VIII. Novogardiensem & Plefcoviensem Russicos Duces seu Regulos, bellum inferre Episcopo intellexisset, mutatâ sententiâ, Germanos in Kâkenhusiano præsidio collocatos, omnes trucidavit. Cumque anno sequenti, à Germanis, ulturis hanc injuriam, obsideretur, incensâ arce, ad Plefcoviensem Ducem aufugit. Albertus igitur, arci munitæ, eò in loco à se excitatæ, Jerichuntinum Rudolphum Ducem imposuit. Anno proximo, ductu Engelberti Tisenhusii, Felinum ditioni Episcopi Rigenfis adjectum est. Nono hinc anno, Johannes Rex Sveciæ, Esthones conversurus per adductum Episcopum & Monachos, simulque Regno recuperaturus vetera jura in Livoniam, fratri Hermannò Episcopo Lehalensem in Wichia ademit urbem, quam vi mox per Ensisferos receptam, Svecia, Rege morte intercepto, & sequentes Sveonum Reges, civilibus Danicisque bellis occupati, coacti sunt deserere. Et quia armis magis quam hortatibus in Esthonas usus Johannes, illi, ulturi injuriam, anno sequente, adfcitis in commilitium Ruthenis, Careliis ac Prussis, diffusi per Gothiam, ad Rotala, non procul à Lincopiâ, Folchungicæ stirpis Ducem Carolum, ejusdemque nominis, sanguinis locique Episcopum, cum aliis gentis Primoribus, prælio cecidere. Post geminam hanc Svecorum Gothorumque cladem anno proximo, Waldemarus Secundus Rex Daniæ, defunctus Hamburgensi bello, invidens prosperis Germanorum in Livoniâ successibus, svadente Andrea Lundensi Archiepiscopo, Albertum Nordalbingiæ Comitem, copiarum suarum Ducem, illuc mittit; sequentique anno, cum majoribus ipse

*An. 1208.**An. 1209.**An. 1210.**An. 1210.**An. 1220.**An. 1221.**An. 1222.*

- copiis subfequitur, & fere quo loco, ante annos centum viginti tres, Ericus Emund, postmodum Rex Daniæ, Canuti Sancti Obotritorum Regis & Slesvicensium Ducis frater, virginum cœnobium, dictum Sancti Michaelis ad Revaliam, instituerat, Revaliensem urbem condit, Wefenbergam quoque & Narvam, ad continendos in obsequio Esthonas, munit præsidii. Hoc bello delapsum cœlo labarum Danebroge dictum ferunt scriptores Danici. Anno sequenti, Vinno Wendæ per ministrum occiditur, atque in locum occisi surrogatur Volqvinus **Schenck von Winterstetten** è Sveviâ, ut eum vocat Menius, eodem anno conditum Dorpatum perhibens. Anno qui hunc excepit, Wilhelmus Mutinensis Episcopus, factus jam Cardinalis, jussu Honorii Tertii Papæ, Livoniam revisit. Quoniam anno superiore Waldemarus Danicus, dolo Henrici Sverinensis Comitis, cujus absentis conjugem vitaverat, raptus erat in captivitatem annorum plurium, occasione utendum ratus Volqvinus, ex improvise, relictos in Livoniâ Danos, exturbatos arcibus & oppidis necat, & quicquid illic Danici juris sibi suisque adserit. Utque occupata tueretur melius, quoniam expeditiones Hierosolymitanæ cessaturæ jam videbantur, quotquot poterat, sacram militiam professos, in Livoniam allicit. Hi sodalitiis jure, solemnibus votis obstricti, infidelibus domandis sese devoverant, idè Sacri ordinis Equites, & albo pallio circa pectus adtextos duos rubri coloris transversim collocatos gestantes gladios, Eniferi Fratres, nostris **Svardsbröder** dicebantur. Cum hos cerneret Albertus Rigenensis Episcopus, nec Danis, amissa repetituris, nec Esthonibus Livisque, jugum depulsuris, si simul insurgerent, futuros pares, autor fuit Volqvino, ut suum Ordinem Ordini fratrum Teutonicorum Domus Hierosolymitanæ, per Conradum Masoviæ Ducem circa hoc tempus evocato in Prussiam, adjungeret, ut conjunctis animis ac viribus quibusvis adversantibus obfisterent. Sed id negotium in plures annos tractum est. Sunt qui tradunt, anno seculi hujus vicesimo quarto, non deletos prorsus fuisse Danos in Esthonia, sed tantum adstrictos graviter, quod cum ægrè tulisset Rex, subornasse Legatum Papalem confecto diplomate, quo præciperetur Magistro Ordinis, ut docendo, non bellando, cives CHRISTO adduceret: Sed, cognito dolo, ita motum Magistrum indignitate rei, ut tertio inde anno, vi omni adortus, Danos straverit. Biennio post, obiit Albertus tertius Rigenensis Episcopus, anno muneris tricesimo tertio,

tio, cujus tempore res Episcopi Magistrique Ordinis satis florentes fuerant. Sequenti anno sufficitur ei Nicolaus Episcopus, qui adductis *An. 1230.*
 è Wisbyensi civitate aliquot mercatoribus, simul cum eis jus Gothlandicum allatum in judiciis usurpandum Rigenſibus indulſit. Sed isto *An. 1233.*
 munere vitaque defunctus est anno post tertio. Proximo mox anno *An. 1234.*
 Albertus creatur quintus Rigenſis Episcopus, & post annos quatuor primus Archiepiscopus. Fuit autem hic annus insignis multiplici *An. 1238.*
 mutatione rerum in Livoniâ. Nam Volquinus Enſiferorum Ordinis Magister ultimus, cum quadraginta octo fratribus, & ingenti Christianorum numero à Lithuanis in prælio cæsus est. Cujus rei nuncium cum frater Gerlacus Rufus adtulisset Romam, quò cum Johanne Magdeburgensi itidem fratre Livonico, ipsum præcesserat Hermannus de Saltza, Teutonicæ Domus Generalis Magister in Prussia, acturus de conjunctione utriusque Ordinis, Papa Gregorius Nonus ipsorum postulatis annuit, factumque est jussu Pontificis, ut Teutonico Ordini se Livonicus submiserit, eâ lege, ut habitu ejus adsumpto, ex Regulâ Ordinis nutuque Magistri, cui se submiserat, omnia ageret in posterum. Sic autoritate Magistri generalis, Hermannus Balck, factus est primus Provincialis Magister Livoniæ, jussusque, sententiâ dicti Pontificis, ac Friderici secundi Cæsaris, Esthoniâ Danis, non aliter quieturis, reddere, nec non Revaliensem Episcopatum Lundensi Archiepiscopatu obnoxium linquere. E diverso, Rigenſis Præsul factus est Archiepiscopus, eique subjeçti Culmensis, Pomeſaniensis, Warmiensis & Sambiensis Episcopi in Prussia. Insuper decretum fuit, ut Prussici Magistri è superiore, Provinciales autem Livonici ex inferiore Germaniâ, scilicet Saxoniâ & Westphaliâ legerentur. Walde- *An. 1240.*
 marus Danicus Torchillum, Ripensem hætenus sacerdotem, Revaliensibus dat Episcopum, & amplis donat redditibus, quos biennio post *An. 1242.*
 ei confirmat Ericus Quintus Rex Daniæ, decimasque ei dari jubet, quem ad modum Hermanno Dorpatensi Episcopo dari nuper præceperat. Livonicus Magister Hermannus, Russis profligatis Pleſcoviam capit, quam mox Alexander Novogardiæ Dux, Magistro plurimisque Ordinis fratribus occisis, recepit. Hermannus successit Henricus ab Heimborg, Magistri munere functus per biennium. Quod *An. 1244.*
 post ipsum capessivit Dietericus de Gröningen, Curlandiam primus *An. 1245.*
 bello infestans, in quâ Goldingam & Amboten condidit. Lithuanos *An. 1247.*

- Amboten obsidentes magnâ clade repulit. Eo rerum potiente, Jarislaus Plefcoviæ hæres partem ditionis suæ Dorpatensi Episcopatuui attribuit. Tertio post anno Andreas de Stuckland, aliis de Stawerland, ei suffectus est, Semigalliam Ordini subjiciens. Mendum seu Mendogum Lithuanix Principem simulato animo Christiana sacra recipientem sacrâ aqvâ abluit, & coronari curavit. Eberhardus Comes de Sain biennium, Hanno de Sangershusen triennium Magistratui præfuit. Burchardus de Hornhusen, aliquoties profligatus, tandem occisus est. Georgius de Eichstet Decimus Ordinis Magister, cum Samogetis & Lithuanis pacem iniit. Osilienses rebellantes compescuit. Wernerus de Breithusen Lithuanos ab obsidione Wendæ, Russos ex urbe Dorpatensi jam occupatâ depulit. Samogetas in Wichiam progressus, in reditu ad Dunemundam nocturno prælio ad interneccionem cecidit. Has res tantas intra biennium confecit. Conradus de Mandern (Wandern habent aliqui) arcem Wittensteinium in Jervia, & urbem Mitoviam in Curlandiâ, condidit. Matthias Drotzetus Regni Daniæ, adversus Novogardienfes, Lithuanos, Semigallos, simul Esthoniâ adortos, victor cecidit, tradente Hvitfeldio. Otto de Rotenstein, ut autor Chytræus, in diocesi Dorpatensi insignem de Russis victoriam obtinuit. ultra quinque millia cecidisse auctor est Hvitfeldius. Eodem tempore, Albertus Primus Rigenfis Archiepiscopus mortuus est, anno gesti muneris trigesimo octavo, quo spatio temporis duodecim vidit rerum in Livoniâ potitos Magistros Ordinis. Alberto Archiepiscopo Johannes à Lunen suffectus est. Post annos duos, Ottoni, à Lithuanis in Osiliâ grassantibus, cum multis fratribus in glacie cæso, Andreas Quartus decimus Magister surrogatus, ab eisdem Lithuanis, primo Magisterii anno, cum viginti fratribus interficitur. Ei succedit Waltherus de Nordeck, Samogetas & Semigallos rebellantes subigens. Ernestus de Roslborg (Rasborg habent aliqui) Dunæburgo condito Lithuanos graviter offendens, horrendâ clade cum uno & septuaginta fratribus ab eis interfectus est. Ei mox succedit Conradus de Feuchtwangen, tertio post anno factus Generalis Magister Ordinis in Prussia, eo locum dans Wilhelmo de Endorf, de Schurborg habent aliqui, bella cum Lithuanis continuans, arcesque Wolmariam, Burtnicum & Tricatiam condens, qui tandem cum tribus & triginta fratribus à Semigallis occisus traditur. Horum sex Magistro-

gistorum quatuordecim annos muneris præsidendo explens Johannes Archiepiscopus, morte decedens, locum fecit Johanni de Fechten Tertio Archiepiscopo, qui anno M. CC. LXXXVI. cathedram conscendens, ominoso nomine dimicare coactus est cum Magistris Ordinis, de prærogativâ dignitatis & potentia, quæ hæcenus Archiepiscopis sine invidia æmulationeque competierat. Anno sequenti Conradus ab Her- *An. 1287.*
 togenstein constitutus est Magister Ordinis, qui Semigallos iterum rebellantes domuit, nec ultra biennium id munus tenuit, tradens habenas Bothoni vel Bolthoni de Hogenbach, nitenti, ex augurio nominis, edito se colle constituere, supra fastigium Archiepiscopi, post acerbis contentiones, cruentasque pugnas, simul cum ipso descendens ad infera, quæ tandem tristis est, arroganter ferociterque se pro dominatione gerentium, catastrophe. Post annos quatuor, Johannes Se- *An. 1289.*
 cundus, natus Sverinensis Comes, creatus est Archiepiscopus, eodemque Magister Ordinis factus Henricus de Dumpeshagen, & ipso post *An. 1296.*
 biennium defuncto, Bruno, atque post alterum biennium Gotofri- *An. 1298.*
 dus, à quibus Archiepiscopus graviter adstrictus, captus, dimissusque, *An. 1300.*
 tandem ultimo hujus seculi anno, Romæ, quò confugerat, se horum exempturus vexationibus, moritur. Eodem anno, factus est Ivarus Archiepiscopus, gente Danus, qui non ferens injurias Ordinis, abdicato munere, patriam repetiit. Illic factum Lundiensem Archiepiscopum Chytræus memorat; Sed nec Nicolaus Johannis, nec Magnus Matthias, Dani, ille Archiepiscopus, hic Lundienfis, ut vocant, Superintendens, ullum hoc nomine agnoscunt suæ sedis Archiepiscopum. Eodem etiam anno, Fridericus Baro Bohemus, factus est Archiepiscopus, qui cum premeretur à Gotofrido Magistro, ex voluntate Canonicorum suæ Ecclesiæ, ad opem confugit Danici Regis Erici. Septimi dicti Menvidii, initoque fœdere, mutua paciscuntur auxilia, ad tuendas adversus inimicos res suas in Livoniâ. Formulam fœderis, paucis malè demptis, latinè exhibent Hvitfeldius & Pontanus, in quâ, necessitate summâ adactos se queruntur, ad quærendam opem secula-²²
 ris brachii, propter, ut ajunt, nimis pervicaces paganorum insultus,²²
 quibus frequenter molestamur, & devastamur in bonis & personis,²²
 adeoque terræ nostræ sunt & fuerunt desolatæ penitus annis pluri-²²
 bus & destructæ, sicut in terris Semigalliæ, Valcz & Gerze patet e-²²
 videnter, & præcipuè propter persecutiones enormes, quas à fratri-²²
 bus

bus Domus Theutonica in Livoniâ passifumus, & patimur, in ca-
 ptivitate & detentione nostrorum Prælatorum, hominum nostro-
 rum interfectione, ac civitatis nostræ Rigenfis pressione, nostrorum
 & bonorum plurium desolatione, incendio & rapinis, hominum no-
 strorum à nobis & Ecclesiâ averfione, ac castrorum nostrorum omni-
 um subtractione fraudulentâ, contra fidelitatem, Prælato nostro,
 nobis, & Ecclesiæ ab eis debitam, ratione bonorum, quæ à nobis
 tenere dignoscuntur &c. Hæc & plura illi, quæ pandunt faciem il-
 lius temporis rerum Livoniæ. Nempe, ab initio, pars tertia terrarum
 infidelibus adeptarum, cedere debebat fratribus Ordinis, cæteræ au-
 tem duæ Archiepiscopo, ut statuit Pontificis Legatus Mutinensis Epi-
 scopus: Nunc ipsi sibi adserere coeperunt omnia, nihil linquentes An-
 tistiti. Narrant scriptores Danici, Bonifacii Octavi Sacellanum Isar-
 num, titulo Legati, adtulisse sententiam Pontificis, quâ, compen-
 satis utrinque damnis & expensis, jubentur contenti esse terris bonis-
 que illis, quæ pars utraque tenuerat in ditione Rigenfi ante belli hujus
 initia. Fratres Ordinis nullum castrum in urbe aut vicino ei loco stru-
 erent, nec clam palamve plures quam decem simul comparerent intra
 mœnia, neve illic congressus haberent, ut cætera illius sententiæ capi-
 ta non attingam. Videntur autem ei non acquievisse, quum biennio
 post, Benedictus XI. Papa, Archiepiscopi Rigenfis munus Johanni
 Grand exuli Lundensium Archiepiscopo obtulerit, quem hono-
 rem ille refugit, territus statu Diœcesios perturbatissimo. Eò enim
 perductæ tum erant res Livoniæ, sedatis externis bellis cum Lithuanis
 & Russis, ut intestinæ æmulationes & bella civilia inter ordinem &
 Archiepiscopum, qui primas hæctenus tenuerat, exarserint. Quo-
 rum malorum tædio, desertâ diœcesi, Fridericus Archiepiscopus, per
 annos triginta novem perpetuò vixit in Romanâ curiâ. Itaque eo ab-
 sente horrenda inter Rigensem civitatem, sociatamque ei Diœcesios
 Nobilitatem, & fratres Ordinis, dissidia & bella exstiterunt. Anno
 M. CCC. VII. Conradus de Joke factus Magister Ordinis, qui Meysa-
 tam arcem in Semigallia condidit, ac Russos ad Plescoviam profliga-
 vit. Eo successu elatus, urbi Rigenfi Nobilitatiqve Diœcesios fuit
 adeò gravis, ut ejus cæterorumque improbitatem, trium annorum sæ-
 vâ fame, enectis intempestivo frigore frugibus in agris, Divina justitia
 castigatam voluerit. Sed occalluerunt illi. Cumque obfirmatis studiis
 Ordo

An. 1302.

An. 1307.

An. 1316. seqq.

Ordo libertatem civitatis niteretur evertere, illa, adsumptis in foedus Lithuanis, Magistrum Ordinis cum decem fratribus ad Treidam oppressos trucidavit. Ei surrogabatur Eberhardus de Monheim, XXV. *An. 1327.* Magister Ordinis. Hic urbem Rigam, absente apud Pontificem Archiepiscopo, obsedit, adque eas angustias redegit, ut se suaque jura *An. 1333.* ac privilegia omnia traderet, dimidiam partem mulctarum in judiciis, atque expiscibus vestigal cederet, ingentemque murorum partem dirueret. Eam Magistri acerbitatem non insipido sale perfricuit quædam faceta mulier, vasto, dicens, esse Magistrum hunc corpore, qui, non nisi per subversos ingenti spatio muros, urbem ingredi potuerit. Ad dejiçendos planè civibus semel oppressis animos, arcem Rigensem, ad Dunam, urbi imminentem, quâ parte muri erant diruti, primus excitavit. Cum Moschis etiam bellum diuturnum habuit. Hujus tempore apud Danos regnum tenuit Christophorus Secundus, iis à se difficultatibus implicitum, ut coactus sit veteres ejus provincias oppignorare indigenis exterisque Dominis. Ne quid tale sibi accideret, non temerè metuens Esthonia, literas ab eo impetrat, ne quâ unquam ratione divellatur à reliquo Danici regni corpore. Sed mortuo Christophoro, cum post luctuosum Daniæ plurium annorum interregnum, filius Waldemarus, scriptorum aliis Tertius aliis Quartus numeratus, *An. 1329.* succedens, in summâ rei nummarie inopiâ, sororem suam Margaretam elocaret Ludovici Quinti Cæsaris, Bavarici dicti, filio Ludovico, à patre constituto Marchioni Brandeburgico & Lusatiae, nato Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Bavariae & Carinthiae, nec non Comiti Tyrolensi & Goriciae, spretis paternis literis, dotis loco, cum alienandi potestate, adfina huic contulit Esthoniâ, in eum diem velut annexam Daniæ laciniâ, codicillis eâ de re confectis Spandoviae, *An. 1340.* Dominicâ, ut tum moris erat scribere, Oculi. Sed quoniam terram hanc, ob situs distantiam, ditionibus suis nequirit adjungere, impetratâ etiam permissione Cæsaris Ludovici patris, per literas, Dominicâ Latere datas Landshuti in Baviâ, anno sequenti, die Matthiae Apostoli, datis *An. 1341.* Tangermundae solemnibus eâ de re literis, pro sexies mille marcis auri selibris, totam, cum omnibus rebus juribusque ad eam pertinentibus, Henrico Tüsemero, seu Düsnero de Arfberg, ut vocant aliqui, Magistro Generali Domus Theutonicae in Prussia, vendidit. Eâ re cognitâ, Waldemarus sic inito contractui vehementer cepit perrexit-

que obloqui, contendens, vendendi quidem potestatem contulisse adfini, retinuisse tamen sibi ejus redimendæ jus ante omnes alios. A quâ sententiâ cum non desisteret, ipse adfini aurum, de quo convenerant, expendit, detracto tamen eo de summâ, quod Tüsmerus jam tradiderat. His expeditis, mox Magistro Generali eandem terram emendam Waldemarum obtulit, sed aucto pretio in triginta marcarum felibrarum millia. Consignatis literis, accepta, quamvis durior, conditio. Postea tamen Waldemarum, fratre ejus Ottone recepto in sodalium Ordinis, de dicta summa undecim remisit millia. Sed quoniam continua in vicinos Prussici Ordinis bella, sumptus requirebant non mediocres, & terra Esthonia, nusquam terminos, habuit Prussicæ contiguos, partem promissæ pecuniæ de suo numeravit Tüsmerus, reliquum, dividit iterum pro pretio eodem provinciâ, habuit à Goswino de Ercke, Provinciali, suoque adhuc Ordini subiecto, Magistro Livoniæ. Ita Esthonia, anno postquam deserta à Svecis, C. XX. VI. seculi autem hujus quadragesimo sexto, divulsâ à Daniâ, cum reliquâ Livoniâ, Curlandiâ ac Semigalliâ, in jus cessit Magistrorum Livoniæ. Hæc ex diplomatum fide fallere nesciâ, libuit simul sub conspectum dare, interruptâ non nihil annorum ferie, ut contextus rerum pateret melius. Sed quo anno dictus Waldemarum Rex creabatur Daniæ, Romæ mortuo Friderico Rigensi Archiepiscopo, successit Engelbertus de Dalem, annoque sequenti, Eberhardo Livoniæ Magistro Ordinis Burchardus de Dreyleven, cujus in illis oris etiamnum supersunt posterii. Ab hoc & antecessore Rigensem urbem hic Archiepiscopus repetiit. Sed quoniam frustra, ideò de injuriis questum, ad Pontificem, Avinionensem agentem, se contulit, illic ad finem vitæ hærens, absque omni successu negotii. Interea, Magister Ordinis, domi, sine æmulo, agit versatque omnia. Bella continuans in Russos, ad eos melius compefcendos, Mariæburgum & Froweburgum arces, in ditionis ipsorum finibus, erigit. Ad hæc perficienda, cum sumptus operasque ingentes exigeret Magister, per præfectos ex advenis Germanis impositos rusticis, illisque non suppeteret injuncta exsolvendi facultas, agrorum cultu per bella nusquam intermissa, aut omisso penitus, aut curato diu segniter; videntes, tot jam annos, neglectâ curâ animarum, abjectoque studio propagandi inter ipsos regnum CHRISTI, otiosos in aulâ Pontificis desiderere Præsules, pro obtinendâ potestate seculari, exerce-

reque

d. 24. Jun. Mariæburgi.

An. 1347.

reqve eandem domi Magistros, ex suâ quidem libidine, sed subje-
 -orum certâ pernicie, his se malis semel liberaturi, armis captis, per Har-
 -riam, Wichiam & Ofiliam, Nobiles Præfectosqve Germanos, cum con-
 -jugibus & liberis, contrucidant. Ad hos reprimendos, Magister Or-
 -dinis, mox fratrum armigerorumqve, raptat agmen, editaqve magnâ
 -rusticorum strage, superstitibus arma adimit, adqve expiandum rebel-
 -lionis crimen, Sonnenburgensem in Ofiliâ arcem ædificare cogit, vi no-
 -minis arguentem, eo labore peracto, ab Ordine violato, meruisse reos *An. 1345.*
 vitæ gratiam, quod *söhnen* & *söhnen* horum lingvâ dicitur. Estqve
 hoc haud incertum initium irrogatæ tum rusticis Livonicis, servatæqve
 in præsentem diem, servitutis extremæ, quâ, adscripti glebæ, interce-
 -pto armorum usu, ad æternas damnati tenentur operas, *pejore quam ju-
 -menta forte*, quibus absoluto diurno penso, puræ aquæ haustum cum ne-
 -cessario pabulo non invideris. Manavit poenæ exemplum in omnes
 subjectas Ordini terras, ne quæ se posset in posterum eidem crimini
 facere obnoxiam. Atqve utinam, cum traductis aliò subactæ terræ
 Dominis, non etiam migraret malum servitutis abjectissimæ! Sed dum
 indigenam gentem sic mulctant Domini alienigenæ, non mitius utros-
 -que habent Lithuani, igne ferroqve populantes omnia per Lettiam &
 -Curlandiam. Tandem, anno M. CCC. XLVI. Burchardus, & sequen- *An. 1346.*
 -ti mox Engelbertus, non exspectatâ Clementis Sexti sententiâ, ad *Æa-*
 -cum Rhadamantumqve discesserunt, expeditiùs finituros eis cum sum-
 -mâ potestate regendæ Livoniæ crudelem cruentamqve controversiam.
 Anno jam dicto Goswinus ab Ercke factus est Magister Ordinis, &
 post annos duos Fromhildus de Fiffhusen inauguratus Archiepiscopus. *An. 1348.*
 Goswinus capti Magistratus initio à Waldemaro & Tüfemero
 emptam Esthoniæ, cum eximiis in eâ urbibus Revaliâ, Wesenbergâ,
 Narvâ, Dorpato, aliisque, adjunxit reliquo corpori Livoniæ. Inde
 cum Russis Vitebsiensibus & Smolenscensibus bella gessit, in annum
 M. CCC. LX, quo obiit, successorem mox nactus Arnoldum de Fit- *An. 1360.*
 -tinghoffwen, qui Caenam Lithuaniæ direptam delevit incendio. Ei
 post annos quinque successit Wilhelmus de Fimersen, Ordinis Magi- *An. 1365.*
 -ster XXIX. qui post longam disceptationem forensẽ, coram Ponti-
 -fice Urbano Quinto, & Carolo Quarto Cæsare agitatum, integram ur-
 -bis Rigenis jurisdictionem, utriusqve sententiâ adjudicatam præsentem
 & secuturis Archiepiscopis Dantisci die VII. Maji, præsentem etiam sum-

- mo Magistro Prussiae, coactus est reddere: ipse, nec minus futuri Magistri Livoniae, soluti debito obstringendi fidem Archiepiscopis juramento, ut haecenus fieri consueverat. Fromhildus Archiepiscopus, recuperata urbe, redintegrataque amicitia cum Ordine, spe constantis in posterum domesticae pacis laetus, ad plures abiit. Sed surrogatus in decedentis locum Sigfridus à Blomberg Nonus Archiepiscopus, spem antecessoris deprehendit citò nimis evanidam. Cum enim habitum Canoniorum Præmonstratensem, permissu modò dicti Pontificis, mutaret in Augustinianum, eâ re sic offendit animos Magistrorum Ordinis Fremerfensii & Jobi seu Lobbi Ulfensii, qui ei successit (voluerunt enim Teutonici Ordinis fratrum habitum indui ab Archiepiscopo & Canonicis) ut omnes praefecturas Archiepiscopi extra urbem occupaverint, Archiepiscopus vi pulsus, ut jure se tueretur, Avinionem petiit, aditurus Pontificem, mortuus in itinere. Johannes de Sinten mortuo sufficitur.
- An. 1373.* Hoc invito, Magister Ordinis, sui Ordinis fratres Canonicos Rigæ violentâ manu instituit, & à Papa Bonifacio IX. obtinuit, ut fratrem Ordinis Teutonici Johannem à Wallenrod Archiepiscopum crearet, priorem autem Johannem à Sinten Patriarcham Lithuaniae designaret, qui in reditu ex Gallia Stetini obiit. Anno M. CCC. XC. IV. fit dictus Johannes de Wallenrod Archiepiscopus, & Waldemar de Bruggeney creatur Magister Ordinis. Archiepiscopus Nobilitatem Diocesis, detrectantem obsequium, vi adortus, plurimos expulit. Tisenhusios adegit cedere arcem Kâkenhusiam Archiepiscopatu. Tandem, controversa dirimendi potestate permissâ ab utraque parte Warmiensi Episcopo civitatiqve Lubecensi, obsequii subjectionisque promissum anno M. CCC. XCVII. obtinuit. Interea Magister Ordinis Nobilium Harriae Wiriaeqve filiabus succedendi jus concessit in bonis feudalibus, quae jam ante, anno nempe M. CCC. XXIX. à Christophoro II. Danorum Rege eisdem indultum testatur, quod passim existat, Regis diploma. Huic Magistro de Bruggeney Anno M. CD. II. alii biennio ferius, successit Conradus de Fittinghofwen; atque ipsi anno M. CD. XIV. Dietericus vel Theodoricus Turcke. Anno proximo, ad Constantiense Concilium, nunquam Rigam revisurus, abiit Johannes de Wallenrode Archiepiscopus, tertio post anno peregrè mortuus; successorem mox nactus Johannem Habundi, à S. Menhardo Praesulem
- An. 1369.*
- An. 1394.*
- An. 1397.*
d. 14. Julii.
- An. 1402.*
- An. 1414.*
- An. 1415.*
- An. 1418.*

lem Rigensem sextum decimum , quo etiam anno Sigfridus Lander Spanhemius factus est XXXIVtus Magister Ordinis. Hi successores habuerunt , Archiepiscopus quidem anno M. CD. XXIV. Henningum Scherffenbergium ; Sed Magister Ordinis anno proximo Zifonem de Rutenberg , bellum inferentem Lithuanis ; anno autem M. CD. XXXIV. Franconem de Kersdorf , ingenti à Lithuanis acceptâ clade nobilem : atque decennio post , Henricum de Bockenforde ; Quorum duo priores Archiepiscopo de terris quibusdam moverunt controversiam , cum tertio tandem in eum modum finitam , ut Archiepiscopus , acceptis ab Ordine XX. millibus marcarum Rigenfium , territoria quædam in Lettiâ Transdunanâ & Semigalliâ cesserit. Anno M. CD. XLIX. Sylvester Thoruniensis Borussus factus est Archiepiscopus , munus id gerens per annos triginta. Quo spatio temporis , sequentes fuerunt Magistri Ordinis. Heidenricus Fincke de Aversberg , qui bis expedito agmine populabundus Russiam ingressus est , atque arcem Bauske , aliis Pautske , in Semigalliâ condidit ; incertum quo anno Magistratum iniit. Post ipsum Magister erat Johannes Osthoff de Mengden , quo perurgente , Anno M. CD. LI. mense Julio , Archiepiscopus bullam Habitus , ut vocant , inter se & Ordinem conflagavit , qua perpetuò se & successores collegasque suos , eodem cum Ordine habitu usuros , nec non fratres Ordinis futuros Wolmarix professus est. Ejusdem impulsu , dimidiatam jurisdictionem , dimidiatumque urbis Rigenfis dominium Magistris Ordinis concessit , & literas conciliationis , ante CXX. annos à Rigenfi civitate traditas confirmavit , & juri integræ jurisdictionis , quam Majores ejus Rigæ habuerant , & sententiæ ac privilegiis à Carolo IV. & Urbano V. Pontifice , per Fromhildum olim obtentis , planè renunciavit , quæ Kircholmenfis Transactio deinceps vocata est , die S. Andreæ anno M. CD. LIII. Hanc hujus Magistris felicitatem excepit non minor alia. Titulo emptionis , ad Ordinem Livoniæ venerat possessio Esthoniæ , ut prius vidimus ; Sed eminentis domini jus in eandem , adhuc mansit apud Ludovicum de Erlingshusen summum Ordinis Magistrum in Prussia , qui ad Magistrum hunc Livoniæ , ingenti vi pecuniæ redemptum id nunc transtulit. Literæ eâ de re confectæ sunt Regiomonti anno M. CD. L. IX. die Martis post dominicam Cantate. Nec his contentus Magister Ordinis , paulatim omnem Archiepiscopi dignitatem , quâ supremus Livoniæ Princeps hæctenus fuit habitus , ad se transtulit.

*An. 1424.**An. 1434.**An. 1444.**An. 1451.**An. 1453.**An. 1459.*

- tulit. Itaque paucis interjectis annis, apertâ vi grassatus, omnes diocesis arces occupavit, & Archiepiscopum captum Kâkenhusianæ tradidit custodiae, in quâ ipsum detinuerunt etiam sequentes Magistri, Johannes de Wolthufen, anno M. CD. LXXV. factus Magister Ordinis, sed potestate privatus, in carcere obiens, & Bernhardus von der Burg / biennio post succedens, donec in illâ captivitate die XIII. Julii anno M. CD. LXXIX. extingveretur. Huic in munere Archiepiscopi suffectus est Stephanus Lipsiensis, Trojæ Neapolitanæ antehac Episcopus. Hic, etsi frater erat Ordinis, tamen à Bernhardo Magistro Ordinis excludebatur aliquamdiu. Tandem, Livoniam ingressus, contumelioseque exceptus, cum non haberet, direptis Ecclesiæ bonis, unde honestè viveret, statim macerore extingvitur. Interea Rigenfes arcem Dunemundam longâ obsidione fatigatam occupant. Dein, arcem Ordinis, urbi suæ impositam atque contiguam, anno M. CD. LXXXV. vi captam demoliuntur. Eodemque anno Michaëlem Hildebrandum Revaliensem, Bernardus Magister Ordinis creat Archiepiscopum, urbem Rigensem magno, sed irrito conatu obsidens, qui non diu post gradu dejicitur ab Ordine. Ipsi mox sufficitur Johannes Freytag de Loringhoffwen, qui bellum Rigense continuaturus, prælio vincitur. Sed cladem acceptam majori rependit ad *Neremühle* seu Novam Molam, victoriæque insistens, Rigam obsidet. Oppidani, intus à suo milite, foris ab hoste afflicti graviter, cogitationes pacis suscipiunt. Hoc fere tempore, Russica Narva, è regione Livonicæ, exstructa est. Biennio post, Germani mercatores, Novogardiæ in Russiâ per Moschum habentur indignè, coniecti in vincula. Anno M. CD. XC. V. Waltherus de Plettenberg creatur Magister Ordinis Livonici, à Winnone, Magistro primo tertius & quadragesimus. Hic virtute felicitateque summâ sedatis domesticis contentionibus, & bellis, repressisque externis hostibus, cives prudenter regendo, hostes fortiter repellendo, intra obsequii quietisque studia provinciam continuit, ut per annos unum & XXXX, quibus summæ rerum præfuit, res Livonicæ non unquam aliàs florentiores fuerint. Initio, ad tollendas dissensiones civium, unde mala omnia, tanquam ex Lernæâ palude, manârunt in Rempublicam, controversias inter Ordinem & civitatem Rigensem, adsentientibus utrisque, Dorpatensi in Esthoniâ, Piltensique in Curlandiâ, Episcopis, dijudicandas permisit. Qui arcem Dunemund-

mundam Ordini reddendam, & alteram ad moenia urbis, sumptu Rigenſium, absqve tamen munitiõibus, restaurandam censuere. Hæ acceptâ utrinqve lege, dimicationes civium, Archiepiscoporum etiam & Magistrorum, quiescere. Quibus amicè animos viresqve jungentibus, irriti fuere omnes conatus hostium. Nam anno seculi sequentis primo, Moschos in Livoniâ, more suo, immaniter grassantes, ingenti clade stravit, atqve anno proximo vires reparantes, ad Pleſcoviam non minore strage alterâ fregit, terroreqve nominis, & ipsos, & in propinquo veteres inimicos alios, per reliquum vitæ tempus, extortâ Moschis quinquaginta annorum, optimis Livoniæ conditionibus, pace, quietos habuit. Firmatâ pace, cultu agrorum ruricolæ, mercimoniorum civis urbanæ, suam publicamqve rem auxere pulcherrimè, ut neminem, ipso vivente, suæ sortis poenituerit. Atqve longâ pace divites agri ac oppida, modicis tributis fulciantes robur imperii, publicæ & privatæ felicitatis autorem tutoremqve fecerunt res novaturis formidabilem. Utebatur quippe his, non ad voluptates aliquas suas, aut profusiones in res sibi civibusqve noxias, sed ornandam firmandamqve ab omni parte patriam. Imitatus exemplum Johannis Osthoff de Mengden antecessoris, qui ante annos LXII. Esthoniæ cum adjunctis territoriis numeratâ pecuniâ exemerat supremæ jurisdictioni Magistrorum Generalium Prussiæ, eodem modo reliquam omnem Livoniæ, ab Alberto Brandenburgico Marchione, Magistro Ordinis in Prussiâ, indigente pecuniâ ad gerendum bellum in Poloniam, redemit, absolutoqve suo, & post se futurorum Livoniæ Magistrorum dominio, adseruit, non anno M. D. XIII. ut Russovius Chytræusqve perhibent, sed M. D. XXI. dieqve Michaëli sacra, ut ex Regiomonti tum edito eâ de re diplomate constat. Sic collectis in unum corpus universis Livonici Esthonicique nominis provinciis, partoqve earundem Magistris absoluto dominio, nullâ ratione Magistris Prussiæ ulterius obnoxio, dictus Albertus Livonos exsolvit religione sacramenti, quo sibi hætenus obstricti fuerant, addixitqve dominio Magistrorum Livoniæ, Pofonii in Ungariâ vulgato eâ de re peculiari diplomate, anno M. D. XXV. die Jovis, post Valentino sacram diem, proximo. Quæsitâ sic libertate provinciæ, Carolus Quintus Cæsar, Plettenbergium Magistrum eooptavit in numerum Principum Romano-Germanici Imperii, controversiasqve civium litigantium, non acquiescentium sententiæ Principis, ut ex Mynſingero

An. 1507.

An. 1502.

An. 1521.

gero aliisque discimus, ad forum Camerae Imperialis Spirensis deferendas statuit, secus quam de litibus civium Esthoniae, quos frui antiquis privilegiis permisit. Quoniam inde ab anno seculi hujus vicesimo, Rigae, aliisque locis Livoniae, enitescere coepit Lux purioris Evangelii, eamque cupide amplecti multi, & ex fratribus Ordinis, & ex Canonicorum Rigensium collegio, nec non ex nobilitate caetera, fastidientibus plerisque religionis veteris Antistites, qui per lanienam civium, suum Papaeque regnum magis quam CHRISTI stabilire studuerant æque hic ac alibi. Ad hujus cursum impediendum, insurgere coepit rude sacerdotum Monachorumque vulgus, exigens ab Archiepiscopo Casparo Lindio, qui anno nono seculi, post Michaelem Hildebrandum id munus adiverat, ut maturè ei rei iret obviam. Cum frustra se niti videret Archiepiscopus adversus doctrinam sanam amplectentium multitudinem, novo inauditoque hactenus his oris exemplo, vivo adjutorem, mortuo successorem in munere sibi postulabat Episcopum Revaliensem Johannem Blanckenfeldium, peritiâ juris virum celebrem. Huic amplexanti oblata, ob sævum veterem religionem tuendi studium, & quoniam expetitam civibus Rigensibus religionis libertatem denegavit, debita successori obsequia juramento firmanda recusarunt addicere. Post mortem Lindii, cum anno M. D. XXIV. succedens Blanckenfeldius, mala medicaretur in amplexos sacra purgata receptis olim erroribus, illi obsequiorum fidem, æquâ parte antehac obstrictam Archiepiscopo & Magistro Ordinis, totam addixerunt Magistro, recepto ab eo promisso tuendæ ipsorum religionis, adversus Archiepiscopi eam persequentis injurias, datis eâ de re, anno M. D. XXV. die Matthiæ Apostolo sacrâ, literis. Efferatus his Archiepiscopus, concitare coepit Russorum Principem adversus mutatæ religionis sectatores, ob diruta Rigae, Revaliæ, Dorpati, alibi que per Livoniam Esthoniæque, templaritus cultusque Russici. Cujus rei famâ dimanante ad omnes, omnium in eum consurrexerunt animi, coactusque est Wolmariae, in conventu publico civium, coepto desistere, & potestatem suam, suæque sedi subditorum Episcoporum omnium, Magistro Ordinis subjicere. Hac injuriâ, ut interpretabatur, irritatus, in Germaniam discessit ad Cæsarem, ut in studia traheret suarum partium: utque validior pluribus insisteret præsiidiis adversus Magistrum Ordinis, Georgium Ducem Brunsvicensem, tum Coloniensem Canonicum, sibi viventi legit adjutorem

An. 1524.

An. 1525.

torem muneris, & mortuo successorem indubium. Eâ re cognitâ, cum tracturam post se longam malorum seriem prudenter cerneret Magister Ordinis, egit cum Canonicis Rigenfibus, ut è corpore suo, Thomam Schöningum, illic consulis filium, electum Georgio opponerent. Hic, interea anno M. D. XXVII. mortuo Johanne, abiit in Germaniam, atqve, numeratâ Georgio pecuniâ, pervicit, ut electioni de se factæ renunciaret penitus. Atqve ita anno M. D. XXIX. res in tranquillum statum reposita est. Redeunti è Germaniâ Thomæ, cum promissam restitutionem amissorum denegaret Magister Plettenbergius, ille recurrens ad artem antecessorum, nuper in Prussia creati Ducis Alberti fratrem Wilhelmum, è domo Marchionum Brandenburgensium, tum Moguntinum Colonienfemqve Canonicum, Adjutorem successoremqve nominat, anno seqvente ingredientem Livoniam. Videntes Livoniæ Esthones, præcipuè autem Hermannus Revaliensis Episcopus, ac Johannes Mönichufius Osiliensis ac Curienfis Antistes, quorum hæc omnia tenderent, autores fuere Plettenbergio, ut abrogatâ priorum Archiepiscoporum subjectione, in statum liberum Thomam Adjutoremqve ejus Wilhelmum reponeret. His annuens, anno M. D. XXXV. moritur, & cum eo migrat concordia, nutatqve simul comes concordie alitrixqve felicitatis publica tranquillitas. Successit Plettenbergio anno eodem Hermannus de Bruggeney cognomento **Sasenkampf**. Hunc anno seqvente Revaliensis lauto exceperunt epulo, in quo cum acerba inter cives urbis habitantemqve ruri Nobilitatem, oriretur contentio, in quâ componendâ civibus quam Nobilibus æqvior quibusdam cum videretur Magister, ita alienatos à se experiebatur quorundam nobilium animos, ut sibi ab atrocibus in eum distertiis non temperaverint. Eâ re compertâ, reos maledicentiæ in carceres conjicit. Quorum causam suam faciens reliqua Nobilitas, eò rem perducit, ut remissâ culpâ, leges latæ sint, quibus coerceretur in posterum & lingvæ intemperantia, & quietæ turbandi audax temeritas. Anno proximo, mortuo Thomâ Archiepiscopo, cum succederet Wilhelmus Marchio, repeteretqve adempta bona Archiepiscopus, nihil obtinuit. Rigenfibus nihilominus libertatem religionis indulfit, usque in tempus generalis habendi concilii. Et quoniam religioni puriori addictus etiam ipsemet, in societatem Smalcaldici foederis unâ cum Rigenfibus se contulit. Repressum diximus tumultum anno

M. D. XXX. VI. Revaliensibus motum à nobilibus in agris degentibus, sed non ita extirpatum, ut non ex malâ radice pejor herba civilis discordiæ metuenda adhuc fuerit. Itaque ad eam excindendam anno

An. 1543.

M. D. XLIII. leges salubres latæ sunt, præcipientes modum, ad quem & Nobiles in urbe, & cives in agris, sine alterutrius injuriâ, sese gerent. Hæ Wolmarix in Conventu generali Provinciarum omnium

An. 1546.

tum conditæ. Ibidemque post triennium pariter ab eisdem constitutum est, ne fas esset uni alicui statui unitarum provinciarum Livoniæ, quæquam externorum Principum, in suos usus, cæteris non adsentientibus, Adjutorem successoremve Archiepiscopo quærere. Si quis Archiepiscopus aliusve contra faceret, cives cæteri, soluti vinculo jurati obsequii, violanti legem hanc, justâ vi obfisterent. Eâ re decretâ, cognitoque, foedus Smalcaldicum, recedentibus ab eo passim fociis, abire in nihilum, ad opem Magistri Ordinis Livonici tandem confugit Archiepiscopus, ut amissorum vel aliqua reciperet. Motus demissâ prece Magister, permisit, ut in promissâ à Rigensibus obsequii partem æquam secum admitteretur. Eo obtento, pompâ solemnem urbem Rigam ingreditur. Biennio post, mortuo Hasenkampfio, sufficitur Johannes Rekius, **von der Nuck** vocatus aliis. Is vetera confirmat Revaliensibus privilegia, utilesque condit leges, servandæ inter Revalenses cives, Nobilesque in vicinis agris, concordix, eodemque quo hæc constituerat anno decedens, locum fecit Henrico de Galen Magistro Ordinis. Hic, Wilhelmum Archiepiscopum, mox urgentem ecclesiasticorum bonorum restitutionem, condit in carcerem, annoque nondum exacto dimittere coactus est, & liti de bonis ecclesiasticis, per plures viros Principes, quibus id commissum negotiâ à Cæsare, finis impositus. Quoniam anno M. D. LIII. mense Septembri, finis foret paci, quam annorum quinquaginta cum Magno Moschoviæ Duce quondam icerat Plettenbergius, sub initium veris anno hoc, Legatis missis, decreverunt Livoni, prorogationem ejus à Moscho peti in annos plures. Sed ipse pluribus in Casanensi Astracanensique regno victoriis inflatus, adhæc offensus Revalix, Dorpati, atque alibi inhibitis Rufforum commerciis, nec non subversis passim Ruffici ritus in oppidis Livonum fanis, quod ex Blanckenfeldii Archiepiscopi suorumque literis jam ante didicerat, eas tulit paci habendæ leges, quarum nullam Legati possent admittere. Sub initium anni sequentis, re infectâ re-

An. 1547.

An. 1549.

An. 1550.

An. 1553.

An. 1554.

versis Legatis primis, Wolmariam Livones iterum convenere, lecturi Legatos alios de tentandâ iterum productione pacis Livonicæ. Eam annorum quindecim se indulturum pollicetur, si propositæ prioribus Legatis leges, intra primos tres induciarum annos, ad sensum conferebantur Livonum. Ad eam rem conficiendam, suos mox Legatos Dorpatum mittit, poscentes, debitum ei religionique puræ, ut ferebat, mille uncialium thalerorum censum annuum, ad quem bonâ fide quotannis Moschua solvendum, solemnibus se literis obstringerent. Postulatum, nullo jure, ac ne umbrâ veri subnixum, explodendum svaserunt plurimi. Cancellarius Episcopi Holtshuer contra censuit, sic constitutis Livoniæ rebus, posse promitti pecuniam annuam, cumque promissa exigatur, obtendi interdictum Romani Cæsaris, quo prohibeatur pendere externo Domino, à populo, qui Cæsari debeat obsequium. Sed obtentis de pecuniâ annuâ Livonum literis, cum diceretur Legato Moschi, requiri ad eam rem ad sensum Romani Cæsaris, ut promissio rata sit, ridens ait: sufficere sibi hunc vitulum, evasurum in bovem cum tempore. Eodem hoc anno, Magister Ordinis Livonici Henricus de Galen, Bernhardum von Scherzen Prætozem arcis Wittensteniensis ablegarat in Sveciam, rogatum, ut quam maximis commodè posset copiis Gustavus Rex, circa autumnum anni sequentis, simul cum Magistro Ordinis adoriretur Russiam. Quibus intra fines Russicos præstituto tempore hostilia agentibus, socium Regem Magister destituit, causatus, dum ista peteret in Sveciâ, impositam sibi Livonisque necessitatem amoliendi difficultates domesticas, natas ex eo, quod adversus Wolmariensè decretum Ordinum Livoniæ, Wilhelmus Marchio Archiepiscopus, adiutorem successoremque sibi legerat Christophorum, propinquum sanguine Ducem Mechelburgicum, ad quem coercendum, omnes vires coactus sit convertere. Novus Adjutor

An. 1555.

An. 1556.

adduxit ad fines Semigalliæ Onixtam usque octuaginta millium exercitum, coëgitque hoc anno creatum Magistrum Ordinis Henricum Fürstenbergium, Archiepiscopum Adjutoremque ejus captos, libertati reddere, ablata restituere, impensaque bello rependere. Dum operâ Polonorum Lithuanorumque, huc illucque itantium, inter dissidentes restauratur brevi duratura concordia, mirè illis placuit solum Livoniæ, Curlandiæ Semigalliæque, atque ita arrisit, ut omni arte studioque inde quæsierint, earum possessionem corpori Reipublicæ Polonæ adjungere, atque in eum finem ultrò tuitionem adversus Russos aliosque inimicos obtulerint. Eâ de re illustris est locus celebris cujusdam eo
 ,, tempore Stemmatographi in hæc verba: Sunt hac occasione (refi-
 ,, ciendæ amicitia) Poloni & Lithuani primùm in Livoniam attracti, &
 ,, illecti, ut postea ejus patrocinium in se susciperent. Atque eo tem-
 pore, sub Magistris Livoniæ, Præfectorum haud paucis factus splendor-
 que Polonicorum Procerum sic placuit, ut notitiam amicitiamque Po-
 lonam exambientium haud pauci, in suspicionem venerint sagacioribus,
 haud servaturos tales sinceram fidem in Livonum Rempublicam. In-
 ter cæteros, Casparus Monasteriensis, Marechallus Ordinis Livonici,
 nec non Gothardus Ketlerus, præfectus præsidio Duneburgensi, paulo
 post Magister postremus Ordinis, à reliquis notabantur eo nomine:
 Qvi tamen contenderunt, id exigere status rationem, & studium tuen-
 di Dignitatem Ordinis; imò, Casparus apertè contradixit electioni Ma-
 gistri Fürstenbergii, tanquam hominis minus gnari artium civilium,
 quibus parari posset, ob viciniam necessarius favor Primatum Poloniæ.
 & hic tandem palam, desertis Livonis, ad Polonos transit. Imò, ho-
 rum arte curaque effectum est, ut Livones foedus cum Polonis adver-
 sus Moschos diè V. Octobris, anni M. D. LVII. Paswaldiæ Lithuano-
 rum pepigerint, postquam mense præcedente Livoniæ pax per Legatos
 Cæsaris, Electorum, Ducum Pomeraniæ, aliorumque eo modo reddi-
 ta est, ut insuper habito Decreto Wolmariensi, Archiepiscopus resti-
 tueretur, Adjutor suo tempore succederet, traditisque Archiepiscopo
 urbis Rigenensis clavibus, Nobilitas Diocæsis juraret in ejus obsequia.
 Hæc pax sic arrisit Livonici nominis quibusdam Primoribus, ut eâ satis
 ab omni parte cautum arbitrarentur Securitati Livoniæ. Sed dima-
 nans ejus fama ad Magnum Ducem Moschoviæ, ob alias prius nomi-
 natas causas infestum, infestioem adhuc Livonis reddidit. Cumque

tres ab eo antea, longiori paci firmandæ præstituti anni finiti jam essent, morteque sublati Ordinis Magister Henricus de Galen, satis se commodam occasionem nactum rebatur Moschus, bello divexandi Livoniam. Itaque misso feicali bellum denunciat, divulgatis literis causam præcipuam prætexens, negatam ante tres annos promissam pecuniam annuam. Paci iterum petendæ Elardus Crusius & Nicolaus Francus Legati missi Moschuam. Responsum, dari haud posse, ni armis positis, militem exaurent, ne metu coactus petitioni pacis annuisse videretur. Suboluit multis dolus, svadentibus, legendum potius quam dimittendum militem. Magister Fürstenbergius, veritus, ne Moschi efferreretur rabies, ni imperata faceret, exautorato dimissoque milite patriam nudabat præsidio. Mox remissis Legatis Moschuam, qvovis modo pacem parandam præcipit, agendumque, ut belli devitent molestias. Difficilem se Moschus præbuit. Tandem petitioni pacis, renunciationi que juris in Livoniam adtributasque ei provincias annuit, si uncialium sibi dentur sexaginta, qvadrageinta alii, millia, & diocesis Dorpatensis in posterum solvat bis mille uncialium pecuniam annuam. Adsensere illi, domumque ituros ajebant, pro adferendâ qvantocyus *An. 1558.* pecuniâ. Illic ipse, & sine morâ solvendam poscît. Qvam cum sibi non adesse dicerent, graviter excandescens, ludos sibi fieri dixit. Jussis abire, eos adjecit viâ Duces, qvi non ante adultum Februorum mensem, reverti fecerunt in patriam. Famam nunciumque rei sic expeditæ, aut impeditæ potius, prævenit Moschorum exercitus ductoris Zigaleji, gente Tartari, celeritas. Is adulto Januario cum qvadrageinta millium exercitu ingressus Livoniam, qvoqvò vertit arma, inde à Pleseoviâ per terras ditionis Dorpatensis, Wirix, Alentakix, Narvam usque, agris immisit vastitatem lacrymabilem, ingentemque promiscui sexus hominum multitudinem, in morte acerbiorum Tartaricam servitutem abduxit. Ad mœnia urbis Revaliensis inexpectatus hospes comparuit, qvo tempore Esththonici tractus Nobilitas, ad solemne nuptiale epulum invitata, geniali vacabat lætitiæ. Sic effuso in Livonos truci impetu ferociæ, unde provolavit, Pleseoviam repetiit. Hoc fuit Moschici belli initium, qvòd ultra annos XXIV. omni genere cladis nobilem provinciam adffixit. Moschicæ tyrannidis terror mox compulsi cunctos Livoniæ Ordines, opem poscere Cæsaris. Cui cum videretur non arduum, sed eo articulo temporis impossibile, adffictis venire auxilio,

eâ de re dato diplomate, potestatem fecit, implorandi opem validâ in proximo gentis, præcipuè Sveticæ, aut Danicæ. Interea Zigalejus scripto hortabatur Livones, supplices oblatam antea pecuniam Moschorum Duci exhiberent, pollicitus intercessionis benivolentiam. Erant etiam mercatores Russici, qui commodandæ Livis pecuniæ offerrent beneficium. Venientibus autem Moschuam Legatis, vetuit tyrannus mutuo quid sumi à suis civibus, sed adferri è terris Livonicis. Sic coacti, infectâ re, ad suos reverti, penes quos nulla reperiri poterat pecuniæ expediendæ ratio, nihil habentibus egenis, opulentis commodandi beneficium patriæ denegantibus. Tandem agrè confectâ per civitates re nummariâ, pecuniam Moscho offerunt. Qui offensus morâ, diu vetuit recipi. Ut tandem, precibus suorum adductus, adfensit; mense Martio, repentinus advenit nuncius, præfidiarios Russicæ Narvæ milites, à Germanicæ Narvæ præfidiariis, magno multatos fuisse damno; quoniam cum illi agminatim ad arma subito concurrerent, sive vino hilares, sive metu repentini incursum ab hostibus; hi existimantes, velut lymphatos coire ad delendum præsidium Germanicum, duabus explosis majoribus machinis, straverunt Russorum non parvum numerum. Et vicinorum locorum præsidia, concita strepitu, augurata, Russos, ruptâ pace, cepisse arma, cladem majorem securis inferunt. Hæc res mutavit Moscho animum. Quippe repudiatâ pecuniâ, per immisos è proximo milites, die IX. Aprilis Narvam fecit obsideri. Erant autem divites mercatores Russi, pacem præamantes, ob lucri studia. Hi magnis muneribus pervicerunt Moschi consiliarios, ut poni ab ipso arma efflagitarent; errori imputandam dictitantes, non inimicitia, cladem quæ contigerat. Sed dum in eo erat, ut flecteretur, adfertur nuncius, die XII. Maji, captam à suis Narvam, cum portu maris commodissimo; & paucos post dies Neuhausium. Eo successu tumens, cæteras condiciones pacis respuit, nisi captorum locorum perpetuum ei concederetur dominium. Cum Legati ejus rei potestatem sibi permissam à superioribus negarent, omnis spes pacis evanuit; & Dorpatum mox sic arctè obsessum, ut die XIX. Julii se hosti, non prorsus iniquis conditionibus, dediderit, trecentesimo vigesimo octavo anno, postquam à Volquino, Magistro primo Ordinis, Moschis erepta, sedes facta fuerat Episcopi. Capto Dorpato, Eques Ordinis Bernhardus à Smertzen, munitam opulentamque arcem Wirttensteinium,

nium, provinciamque Jerviam deseruit, quam Casparus ab Oldenbo-
ken, alacer juvenis, vacuum ingressus, intrepido animo, successuque
miro, adversus Russos tutatus est. Pariter Franciscus ab Anstet, Re-
valiæ arcem deserens, Christophoro Mönichusen Danis servandam tra-
didit. His Moscho succedentibus, tanta Equitum Livonorum orta
confertio, ut cæterarum in circuitu arcium ditionumque præfecti,
desertis locis, quos tueri debuerant, prædæ Moscho reliquerint; eo-
que modo Wefenberga, Tolsburgum, Wernebecka, Ringia, Lais, Over-
pallen, sine cæde & sanguine, & sine oppugnandi labore ullo, hosti
cesserint. Aliquantò verò prius, quam Dorpatum se dederet, illic
congregati Livoni, de quærendo valido defensore agitarunt consilia.
Pars insistens præcepto Cæsaris, ad Sveciam Daniamve convertit ani-
mos, quod hæc Regna, quam alia in proximo, per mare adducto com-
meatu, milite, armis, sine impedimento hostium, opem ferre possent
celerem. Pars, capta factu Polonico, eò torquebat oculos, spretaque
voluntate Cæsaris, ei foedus Paswaldiense suum, prætulit. Captis
tot per Moschum locis, ut diximus, quisque fuit pro se animo sollicito,
alii capeffentes fugam, alii circumspicientes idoneum sibi tutorem
Dominum. In his turbis, commercia Russica, antea Revaliæ exerci-
ta, ad Narvam, à Russis interceptam, transferre cœperunt Lubecenses,
Angli, Belgæ, aliique, eò deferentes commeatum ac arma, in detri-
mentum eorum, quibus infesta Moschi barbara feritas; quam rem non
poterant non indignanter ferre vicini populi, quorum querelis moti
Cæsares, modò navigationem eam inhibuerunt, modò permiserunt,
prout suorum lucra, alienorum civium maximis damnis, aut posthabe-
rent, aut anteponerent. Quoniam arcem Revaliensem hoc tempore
Danis servatam voluit Mönichusius, ut diximus, eâ se moti Esthones,
regionis suæ tutelam Christiano III. Regi obtulere. Sed is, ætate jam
gravis, inimicitiam Moschi, & plura regendi onus defugiens, id munus
in se non recepit, nec cum Legatis quid certi constituit: tantum com-
meatu & armis juvit, mox die, anni sequentis auspice, vitam regnum-
que finiens. Eo defuncto, cum nulla spes esset tutelæ Danicæ, Reva-
licensis arcis Præfectus, pro certâ pecuniâ eam urbi oppignorare voluit.
Sed Senatus urbis renuit. Gothardi Ketleri, novi Magistri Ordinis
Livonici Legatis, in subsidium belli Moschovitici, offerebantur in Co-
mitiis Augustanis, ab Ordinibus Imperii Germanici, centum Ungari-
corum

An. 1559.

corum millia, quam pecuniam, velut nimis exiguam amolendis malis imminentibus, cum illi stolidè spernerent, tulit eam rem Magister Ordinis indignissimè, ut debuit; atque inde coactus fuit, ad comparandas adversus Moschum vires, bona plurima Magistro Ordinis in Prussia, atque urbi Revaliensi, pro accepta pecuniâ, in pignus permittere. Johannes Mönichusius, Osiensis Piltensisque Episcopus, videns Livis in dies arctiora fieri omnia, nec adparere alicundè spem defensionis vero similem, sed metum certum, brevi tempore sursum deorsumque ferri omnia, suæ consulturus securitati, duabus illis diœcesibus, in modum peculii, Danorum novo Regi Friderico II. venditis, cum accepta pecuniâ, desedit loco à turbis remoto, prope Germaniam. Mense Septembri, Archiepiscopus Wilhelmus, Adjutor muneris Christophorus Megapolitanus, nec non Ketlerus Magister Ordinis, cum Sigismundo Augusto Rege Poloniae, insuper habito mandato Cæsaris, de quærendis auxiliis è Sveciâ aut Daniâ, tuitionis foedus iniverunt hujusmodi. Ille, ipsos, eorumque res ac ditiones tueretur adversus vim Moschicam: illi defensi ejus patrocinio, partâ pace, sexies centena ei persolverent Ungaricorum millia, interea pignoris loco ei traditis arcibus novem in Livoniâ. His utrinque firmatis per codicillorum subscriptorum obfignatorumque solemnia, in dies plura corripientibus Moschis, Poloni territis institere, recipienda esse intra arces omnes Polonica præsidia, nec aliter posse securitati consuli. Terrore coacti admisere oblata. Sola urbs Rigenfis, diu frustra hortantibus Polonis, viscato munere uti noluit. Anno proximo, de translato Revaliâ Narvam Russorum emporio, graviter apud Ferdinandum Cæsarem conqueruntur Ordines Livonici, quò Lubecenses aliique ferrent, præter merces, commeatum & arma, in perniciem Livoniæ regnorumque in proximo: ideò Cæsar, tertiâ die Aprilis, edictum promulgat, quo cunctis vetatur eò commere. Sed, cum mos non gereretur ab Anglis, aliisque, interdicto Cæsaris non obnoxiiis, post biennium (die IV. Maji) etiam Lubecensibus facit liberum, Narvam suis petere navigiis. Eodem tempore, acceptis aliquot in Curlandiâ castris, Rex Poloniae, Magistro Ordinis, quid præbet pecuniæ, hortatus, pariter quærendam opem Sveciæ. Rex Gustavus, eâ de re compellatus per Legatos, non dissimulatis malis, quæ prioris Magistri promissis delusus, de conatibus suis jungendâ Livonorum operâ, suis regionibus accersivisset, non obscuram fecit spem,

certis

An. 1560.

certis conditionibus habendi auxilii, quam mox intercepta secuta mors Regis Optimi. Eodem etiam anno, quum paterni Testamenti tabulis, juberetur Fridericus Rex Danicus, fratri suo Magno Duci, tradere quasdam terras nominis Holfatici: Magnus, juri in easdem renunciatus, suavis Regis, earum loco recipit duas illas, non satis liquido jure emptas dioceses, Osiliensem Piltensemque, quibus simili jure, tertiam suam, pecuniâ acceptâ, adjecit Mauritius Wrangelius, ultimus Revaliensis Episcopus, velut ante Mönichusius, periculum vitaturus, petens Germaniam. Interea, denuò direptâ Harriâ, cæsoque ad Ermas Livonum exercitu, Moschus victor, naturâ arteque munitum oppidum atque arcem Velinum, quo, velut in extremæ ætatis portum, suas Lettiamque incolentium opes, congererat senex Ordinis Princeps Fürstenbergius, prædicatorum perfidiâ, occupat, direptisque opibus, quas proditores subdlexerant, Magistrum abducit Moschuam. Aucto per ista Revaliensibus metu, nec non visis non semel ad moenia signis victoris exercitus, minantis urbi extrema, in se maturè dederet, cum nulla esset spes auxilii à Cæsare ac Germaniâ, & procul abessent saluti sibi futuræ, ut putabatur, vires Poloniae, re communicatâ Equestri Ordini, cujus agris illata ab hoste non una vastitas, missis communi consilio Legatis, tutelam postulant Erici Regis Sveciæ. Ipse, non studio proferendi imperii, quod sibi satis à Majoribus amplum obtigerat, sed miseratus sortem provinciam, spe prohibendi Moschum urbe portuque, unde sibi regnoque aliquando foret intolerabilis, si urbem subjectamque ei provinciam simpliciter dedant, pollicetur tutelam, qualem deberet terris hæreditariis. Rem illi referunt ad Magistrum Ordinis, significantes, si tutari ipsos vellet possetque, non quæsituros Dominum tutoremve alium. Ille verbis dat fiduciam, re præstat nil, præter recipiendum in urbem Polonici nominis, pretii exigui, præsidium. Quod ipsum, quum postulatis, non oneri, sed exitio, se haud obscurè futurum ostenderet civibus, eo dimisso, se suaque dedunt Erico Regi: Ipse, jurium libertatumque indemnitati, die secundâ Augusti, anno M. D. LXI. Regio cavet diplomate. Mox pecuniâ, milite, comæatu, instrumentoque omni bellico, per mare succurrit largiter. Eo facto ne Johannem Basilidem offenderet, cum quo pater, ante annos quatuor, sanatis bellorum offensis, pacem in annos quadraginta constituerat, in Moscho-viam ablegat Nicolaum Krumme, Nicolaum Ryning, & Ericum **Sals**

Lincopiensem Episcopum, ostensuros, fecisse id Regem suum, ad coercendas prædationes, quas in cives Sveonas, Teutonici Ordinis Livonicus Magister, exercuerat. Parum grata Moscho hæc fuere, dissimulata tamen in præsens, vix obtentis biennii unius induciis: callidè prævidens, non futuram, suscepto Revaliensium adversus se patrocínio, diurnam sibi pacem cum Sveonibus, cum quibus dimicandi sibi jus integrum hac pacto esse voluit, rebus suis sic poscentibus, etiam ante id tempus, de quo cum patre convenerat. Mox etiam Polonus, vix serò, sed ut nervo rerum pecuniâ Svecos emungeret, misso Comite Tanskyo, de ducentis uncialium millibus, & foedere in Moschum, quem armis persequi statuerat, Ericum Regem convenit. Pecuniam facile impetravisset, Dunemundâ, Wolmariâ & Wendâ oppignoratis: Sed foedus planè dedignatur, in eum, qui se nullâ provocasset injuriâ. Spe pecuniæ è Sveciâ habendæ frustratus Polonus, videns, inter tot Dominos dividuum fore jus periclitantis Livoniæ, quod integrum suæ spei destinaverat, aliter quam cum Livonis convenerat, nec nisi malignè præstandam opem censuit. Imò, præter submissa præsidia, nihil opis eis à se deberi, rogitantibus respondit. Quin, tot jam Dominis provinciæ inhiantibus, si frui suâ tuitione vellent, hæreditario jure se ipsi Polonisque æternum submitterent. Quid facturi, constituti, ut dicitur, inter incudem & malleum? Foris terror hostis barbari, intus Polonici præsidii, imperata facere compulit. Adhæc, hæreditarii regni, aliis utcunqve obnoxii, spes allicuit. Acceptâ itaque conditione, Gothardus Ketlerus, ultimus, atqve à Vinnone quadragesimus octavus Magister Ordinis, se Polonis Lithuanisque subjecit, cui Sigismundus Augustus Rex, Vilnæ die XXV. Novembris, hæreditarii Curlandiæ Semigalliæque Principis jus, peculiari diplomate reliquit, alio, post tres dies, certa firmans privilegia Livonis, qui in jus imperiumque ejus concesserant. Wilhelmus Rigenfis Archiepiscopus, pariter se suaque Polono dedit. Quod ipsum facere detrectans muneris ejus Adjutor Christophorus Dux Mechelburgicus, utcunqve aliàs adjutus cognati Regis opibus, causatus remorsum conscientiæ, opem Cæsaris quæsiturus, discessit in Germaniam. Ad recipiendam horum omnium subjectionem jurejurando roboratam, provincias quoque, arces, urbes, atque in eis diplomata literasque publicas, cum plenâ potestate agendi, quæ ex usu forent Patroni & clientium, Lithuanum Principem Nicolaum Radzi-

Radzivilium, Vilmensem Palatinum, Rex in Livoniam miserat. Huic se simpliciter submiserunt cæteri. Rigenfes verò, cum pleno Legatû adfensu, Poloniæ Regno, Magnoqve Lithuanix Ducatui, id his fecere conditionibus. Abdicationem Cæsaris, Germanicique Imperii, quibus hætenus inde ab initio vixerant obnoxii, Rex indemnem prorsus ipsis præstet. Adversus Moschum aliosqve hostes omnes defendat. Præsentem puriorem religionem, privilegia, & jura omnia, intemèrata inviolataqve servet omni modo. Orto inter Polonos Lithuanosqve dissidio bellove, aut utrisqve seorsum sibi Regem constituentibus, liberum civitati faciat, aut his, aut illis, aut neutris, fidem, obsequia, auxilia addicere. Huic formulæ subjectionis Senatus Polonus semper contradixit. Et postea, Stephanus Rex, per Legatos Rigenfium crebrò compellatus de eâ urbi confirmandâ, semper respondit: Malle sibi Rigam non deditam, quam subjectam Radzivilianis conditionibus, Munus supremum ductandi in Livoniâ exercitus, commisit Ericus Rex Claudio Christierni, ex illustri apud nos gente Hornia, quem Nicolaum Chytræus perperam vocat. Is, Regi Poloniæ à Magistro Ordinis Teutonici cessas, Pernoviam, deditione cepit, & Wittenstenium, fame expugnavit. Padisam cœnobium, à Revaliâ milliari sexto, in suam potestatem redegit, quod sui juris esse voluit Magnus Holfatiæ Dux. Isthæc Polonus, Holfatus, Holfatique frater Danus, tulerunt graviter. Insuper, Ericus Rex, studens incrementis Revaliensium, Russicarumqve mercium eò reducere volens emporium, edicto vetuit, ne quis Narvam navigaret mercandi causâ. Quod interdictum cum Lubecenses contemnerent, magno numero Narvâ redeuntes eorum naves, abduxit Holmiam; quibus ad eorum preces non redditis, sicut priorum, ita horum infestos fecit animos. Postremo sequentis An. 1562. anni mense, cum labentibus Livoniæ rebus nihil præsidii allatum iri à Cæsare aut Imperio, cerneret Archiepiscopi Adjutor Christophorus Mechelburgicus, Sveciam petens, cum Erico Rege junxit consilia, expetitaqve in conjugem sororum ejus minimâ Elisabetha, & succedendi captâ spe in Rigensem Archiepiscopatum, ejus habendi desiderio, commeatu & copiis adjutus, Revaliam se contulit. Sed post annum, mortuo Wilhelmo Archiepiscopo, pro sacrâ dignitate, quam ambiit, Polonicos tulit carceres, Sponsamqve hanc Svecicam non duxit, nisi post annos novendecim, Dorotheâ Danicâ præmortuâ. Mole-

stiffimè tulit Poloniæ Rex, & qui se ei submiserant, Revaliensès ac Esthonas dedidisse se Regi Sveciæ. Itaque, & datis diplomatibus, & præstitis solemniter juramentis, quorum formulæ per Chytræum editæ sunt, promisit, reducturum se eos ad sui Regni obsequium. Quæ res præbuit bello inter Svedos Polonosque initium, illis juratos hostes mox infestantibus, non expectato primo impetu, his deposcentibus semel Svecis ritè dedita. Fere anteqvam hæc fierent, consilium capitur, de commodiore modo Svecos exturbandi Livoniâ. Non enim dubium, juncturos se eis Esthonas, quum & apud Gustavum eâ de re studiosè egerint, eoqve vivente, apud Johannem filium, jam tum constitutum Magnum Ducem Finnoniæ. Aliis verò alia adferentibus, etiam Jesuitæ sua miscuere consilia, suis Poloniæque rebus utilia, Sveciæ autem vehementer noxia. Tentandum scilicet animum Ducis Finlandici, nuptiis Catharinæ Jagellonicæ, virginis Regiæ, animi, corporis fortunæque bonis supra communem Principum sortem dotatæ. Apud Ministros Principis, per subornatos sectæ fideles, ingeritur dos ampla, amicitia firma futuri adfinis Regis, studia Reipublicæ Polonæ, utilitatem allatura & Sueciæ, & Duci, ad cohibendas Moschi aliorumque injurias, unde autoritatis, opum, potentiaque incrementa non dubia. Hæc palam jactata, sparsaque in vulgus, solitum pasci talibus cupidis. Clam verò habitæ artes proferendi sacri civilisque Imperii, Ductæ enim Principi sponsæ, haud dubiè additos fore sacrarum civiliumque rerum procuratores eos, qui gnari artium parandi amorem Ducis mariti, & blandimentis muliebribus, & argumentis pervasoriis, ad communionem sacrorum eum pertrahant, tractumque reducere faciant religionem Majorum, solo Gustavo imperante, proscripam è Sveciâ, Sveciæque adtributis provinciis. Revocato duce ad gremium Ecclesiæ veteris, velut capite, haud invitè secuturos cives, tanquam membra ejusdem corporis. Vivere enim adhuc passim multos inter Fennos Sveonesque, qui vetera sacra hodiernis præferant, qualium aliqui, Gustavo tenente sceptrum, bellum ei civium conflaverant. Adhæc, certam jam nacti spem potiundi Livoniâ, eâ captâ, contiguos futuros Fennicarum Esthonicarumque ditionum terminos, coalituros olim sub communi Domino. Si filii his obtingent conjugibus, ut spes obscura non est, primogenitus factus Rex Poloniæ, secum autoramenti loco adducet Finlandiam, cognatæ lingvæ, sacrorum, dominiique vinculo

jungendam insolubili nexu Poloniae. Tum, si idem natalium jure obtinuerit Sveciam, & hæc, si non in idem coalescet corpus, cum lingua legesque adeò discrepent, saltem ejusdem Regis impulsu, in sacra eadem consentiet. Insuper, sponso Duci, addicenda dos hæreditasque ampla è Regno Poloniae, aviarque ditionibus Italicis, cujus tamen, ultra promissi benignitatem, nullum unquam fructum, Polonis clam impedituris, sentiet. Quin præterea, prætextu sumptuum Livonici in Moschum belli, sumenda ab Duce, quanta maxima fieri potest, pecunia mutua, ut hoc subducto nervo, facultas dematur, juvandi fratrem, Svecis imperitantem, in Livoniâ. In vicem pecuniar, si aliter haberi nequit, pignori nectendas Duci arces & castella quædam in Livoniâ, ut communis incumbat necessitas, si non aperte, clam tamen, tuendi eas, adversus Moschum: redituras aptè in peculium Poloniae, cum legendus ei Rex, ex Gothici Sarmaticique sanguinis connubio. Hanc illi catenam consiliorum nexuere, attracturam malorum in Sveciam feriem longissimam, post annos prope centum, incisam tandem victore gladio CAROLI GUSTAVI Regis Augustissimi. Primi autem annuli catenæ hujus, Sveonibus futuræ vice compedum, juncti sunt, cum animos & corpora, Vilnæ Lithuanorum, Anno M. D. LXII. die IV. Octobris Johannes, Magnus Dux Finlandiæ, & Catharina Jagellona, solemnî nuptiarum sacro, inauspicatò jungerent. Mox enim conceptam prius consiliorum telam texere exorsi sunt. Primum, multâ prece Sigismundus Augustus ab adfina novo obtinuit centies vicies quater mille uncialium pecuniam mutuam, pro quâ arces Helmet, Ermes, Karchus, Ruin, Bortnik & Tricaten accepit pignori, quibus ipse Johannes, mox mensè Novembri, per Livoniam tendens in Finlandiam, præfectum imposuit quendam Comitem de Artz, qui, anno proximo, intelligens Dominum suum à fratre Rege captum, cum Moscho egit, ut, acceptâ pecunia, fidei suæ traditas arces ei proderet. Id odoratus Polonicus Gubernator Livoniæ, præfectum dolo cepit, arcesque interceptas Regi suo tradidit; qui adfina arrham datamve mutuò pecuniam reposcenti, neutram reddidit. Sub ejusdem anni initium, Wilhelmus è domo Brandeburgicâ Marchio, ultimus Rigenfis Archiepiscopus, à Meinhardo vigesimus quartus, obiit; in quo hic Archiepiscopatus, sede ejus Rigâ aliquantò post Polono deditâ, profus desit. Ei quidem succedere gestiit Adjutor muneris Christophorus Dux Mechelburgicus, qui,

accepto in Sveciâ milite, vi, cum voluntate Poloni non posset, munus id se confecturum sperabat: Sed captus à Rectore Livoniæ, in Poloniam missus est. Hoc ipso anno, cœpit etiam sociale bellum Poloni, Dani, Lubecensium, in Ericum Regem Sveciæ, cum ob causas alias, tum ob eas, quas jam ante attigimus. Et fuit primus Erici impetus in fratrem Johannem Ducem Finlandiæ, quem suspicabatur cum adfines Polono belli adversus se inivisse societatem, quod se inscio pecuniam dedisset mutuam, recepissetque loco pignoris arces in Livoniâ, nusquam monito Erico de hostili Poloni in semet animo. Itaque, ne ducente se adversus Danum Polonumque copias, res domi novare posset Dux, ex consilio improborum hominum, absentem, in Regni Comitibus, ceu proditorem patriæ, traducit coram Regni Ordinibus, atque mox, missis copiis, ex improvise Aboæ obsessum, captum, raptumque in Sveciam cum conjuge Ministrisque præcipuis, in carceres condit, non ausus occidere, metu populi; Ministris, mali nullius consciis, multatis crudeliter. Mox injectâ spe, libertatis, Duci persuadet, adfines Polono, pacem cum Sveciâ facere, per literas svadeat. Libens id magnâ cum diligentia fecit Dux, fidoque Secretario Svenoni Elai tradidit perferendas in Livoniam. Huic per Curlandiam facienti iter, manus injecit novus Dux Curlandiæ, & in arcem Pautskensem abditum, ultra tres annos detinuit, quasi præter Ducis literas, occulta haberet Erici Regis mandata, perferenda in Germaniam: quam suspicionem idoneis rationibus submoventi, præter fas, nulla fides est habita. Anno sequente, Moschus, quod à Tartaris infestabatur, Erici Regis Legatis pacem in aliquot annos confirmavit. Claudio Christierni domum vocato, ad ducendum in Danos exercitum, Laurentius Flemming, in præfecturâ Esthoniæ ducendique in Livoniâ belli succedit. Eodem tempore, Ducibus Nicolao Radzivilio & Gregorio Chodchievicio, non magnis copiis, ingentem Russorum exercitum stravit Rex Poloniæ. A quindecim enim Lithuanorum millibus, quadraginta Russorum, & triginta Tartarorum, Poloni ditionem populantium millia, cum duobus Ductoribus, altero Magni Ducis Basilidis sororio, deleta sunt, ita ut pugnae superstites partim lues, partim subsidens glacies fluminis, quam confertim fugientes depresserant, hauserit, rem fufius narrante Lunderpio. Quæ Moschi clades, res Sveciæ, à vi ejus tutas aliquamdiu in Livoniâ præstitit. Radzivilius, præcipuus victoriæ autor, anno proximo

mo placidè migravit ad superos, Princeps & purioris religionis amore, & belli pacisque artium gloriâ memorabilis. Sed non ut à Moscho, *An. 1565.* ita à Polono in Livoniâ imperturbatæ res Sveonum. Qvippe Parnovia, ante annos tres à Svecis vi capta, Germanici præsidii proditione ad Polonos rediit. Huic, urbi arcique Præfectus Andreas Petri de Färdala Lilliehök, vir illustri apud nos sanguine, persolutis nuper stipendiis discedendi potestatem fecerat. Cujus pars urbe mox excedens, ad Regem Poloniæ novumque Ducem Curlandiæ transit. Sed ante discessum, cum relictâ suorum in urbe parte convenerat, ut adsumptis in consortium Polonis, octavâ post Paschatis diem nocte, ad *d. 29. April.* unam portarum urbis accederent, intrò recipiendi per noctis silentia, Vespere, præstitutam noctem antecedente, in urbe relictî, tanquam & ipsi discessuri, apud senatorum quæmpiam, ædes vicinas portæ habentem, & claves servare solitum, epulum symposiumque, velut amicis valedicturi, instruunt. Vino somnoque adobrutis, & cæteris, & hospite, surreptis clavibus, portam pandunt infandi sceleris focis, cujus primi autores erant Equitum Magister Cyriacus ab Hartz, & Bernhardus Brendes, digni quorum nomina damnatæ sint memoriæ. Admissi proclamant, Germanis, si quiescant, parafuros. Svecos verò, in urbe deprehensos, universos mactant, perfidiæ Germanicæ victimas. Arcem insuper, quam Sveci tuebantur per sex dierum hebdomadas, non suppetente ultra comæatu, nec comparentibus alicundè auxiliis, tandem pridie Pentecostes, cum omnibus tormentis bellicis deditam acceperunt. Moschus, cognito hoc Germanorum scelere, ne simili fraude sibi Dorpatum interciperetur, inde Moschuam Germanicum traduxit præsidium. Primis successibus elati Parnovienses præfidarii, mense Augusto excurrunt usque ad moenia Revaliæ, & castra metantes in vicino urbi querceto, à Svecis, Duce Henrico Claudii Hornio, oppressi profligatiqve sunt, dirum proditionis scelus ulciscente divinâ Nemese. Docuit execrandum horum facinus, quam circumspecta cautio esse debeat in hostico urbium tutoribus, metuendæque infidorum amicorum infidiæ, quas humana sagacitas vix satis caverit. Hujus anni æstate, cum ob bellum Sveco-Danicum minus tuta esset per mare Balthicum navigatio Narvica, Angli novam aperuerunt ad Moschum comæandi viam circuitâ Norvegia, ad Russicarum mercium novum emporium D. Nicolai, aut Michaëlis Archangeli, quorum exemplum

d. 9. Junii.

An. 1566.

plum Belgæ aliiqve secuti sunt. Anno proximo, cum ad Parnoviam aliqvamdiu desedisset Henricus Claudii Hornius, solutâ obsidione, Osiliam pervastabat, qvod Polonis Magnus Holfatiæ prius Dux submississet auxilia. Et Claudius Kurselius Dux Svecicus, Lemsaliæ Polonicum præsidium concidens, ad vindictæ cupidinem irritavit Polonos.

An. 1567.

Qvorum Dux Nicolaus Tolvenskius, majoribus copiis accurrens, fuso equitatu, peditum nostrorum delevit duo millia, captis aliqvam multis signis militaribus, atqve inter ista urbis Revaliæ. Sed fuit hæc ei adeo cruenta victoria, ut propè suorum haud pauciores amiserit. Hic annus, editâ Upsaliæ cæde Svecicorum aliqvot Procerum, qvorum nulla in Regem patriamve mala facinora, præclara verò & plurima virtutum merita, æternam Erico Regi adpersit famæ maculam, animum antea præcipitem sede profus movit, & fortunam hæctenus majori ex parte prosperam, mirè adversam ipsi patriæqve fecit: qvam auxit indecoro suis natalibus connubio, unde contemptus indignatioqve Principum ac civium, dedignantium olim parere hæredi conficio maternarum fordidum. Cumulum malorum addidit Erico, per Legatum Nicolaum Gyldenstiernium Johanni Basilidi Moschorum Principi, in majoris amicitia pignus, promissa Catharina Jagellona, fratris Finlandiæ Ducis uxor, qvam, marito occiso, tradendam ei promiserat. Ad exigendam promissi fidem, ducentorum hominum Legationem Moschus expediit, Sed populi rebellionem verens Ericus, fratrem non ausus est occidere. Qvin, è diverso, ad mitigandos ejusdem animos, offensos recenti cæde Procerum, carcere exemptum libertati dignitatiqve pristina restituit. Servati fratris conjugem, Sigismundi Sveoniæ Poloniæqve postea Regis, in carcere nati matrem, absurdum reputans marito ademptam barbaris flagrantibus tradere, Senatam subornat, qvi Legatos moneat, impio postulato desistere. Illi, irarum pleni, Magno Duci suo injuriam, sibi senibus ludos fieri, indignantes, cœptæ postulationi institerunt acriter. Cui cum nec illi renunciare auderent, renitente voluntate Domini, nec hic, adsentiri, integrâ honestate & intemeratâ Divinarum humanarumqve legum autoritate, possent, res in id tempus extracta est, cum exautorato promittente, in locum ejus, cui promissum erat fraudi, translatum esset imperium, qvod factum est anno M. D. LX. VIII. die XXIX. Septembris, ut & prius indicavimus. Admisso in Holmensen urbem Johanne electo Rege, in Erici abdicati locum, miles,

An. 1568.

les, cupidine prædæ, in Moschicorum Legatorum hospitia irruit, ratus, rem se gratam facturum electo Principi, si injusta ipsiqve contumeliosa petentibus justam inferrent cladem. Sed Carolus Sudermaniæ Dux, exautorati inaugurandiqve Regum frater, cohibuit violentiam, fecitqve, ut salvis rebus omnibus, inviolati suam aliquantò post repeterent patriam. Mox enim anno sequenti, nuncium cum literis mittit Rex Johannes in Moschoviam, narrantes, quid sibi Ericoqve contigerat, additis causis, tum cur earam sibi conjugem, ad malè promittentis Erici pollicitum avelli sibi passus non sit; tum cur Legatos Magni Ducis nullâ injuriâ violandos censuerit, ut qui ad rem absurdam petendam, non ejus, sed Erici fratris impietate adductos arbitretur. Se ad pacem cum eo, velut cum vicino Principe colendam, animo esse promptissimo. Respondit ad ista Moschus, animo, ut exitus docuit, vafro ac subdolo. Gratulari se ei dignitatem Regiam. Expetiisse ejus conjugem, quam rebatur, extincto in carcere marito, viduam, & nullâ ex ipso thori sobole auctam, ut fratri in Poloniam remitteret, non sibi thalami sociam jungeret. Si pacem cuperet, Moschicos Legatos quam primum dimitteret, & suos, de eadem apud se acturos ablegaret. Invitatus etiam literis, reconciliationis spem injicientibus, Regis Daniæ, anteqvam solemnî ritu Upsaliæ Rex crearetur, viros perillustres Turonem Bielckium & Georgium Gyldensternium, pacis faciendæ causâ in Daniam misit, qui reversi, cum inter alia; Sonneburgum Osiliæ, aliaqve quædam castella, arces ac oppida in Livoniâ erepta Magno fratri Regis Daniæ, restituenda promississent in pacis sancitæ tabulis, nec non alia, quæ sine Regis Regniqve detrimento servari non poterant, isti paci, mandatis à se traditis, etiam sententiâ Regni Ordinum, adversâ, bellum præferens, causam dedit Dano, ut portum Revaliensem, hætenus injuriæ omnis expertem, ingressus ex improvîso, prope XXX. inde naves, omni genere mercium onustas, in Daniam abduxerit. Cum postulata Moschi non viderentur iniqua, Legatis ejus honorificè & cum eximiis donis domum dimissis, suos Rex Moschuam misit, Magistrum Paulum Justen Aboënses Episcopum, Petrum Bagge, Broderum de Risa, Antonium Olavi de Tiusterby, Matthiam Schubert Secretarium, & Engelbertum interpretem, quos, de pace acturos non audiens, sed nudatos rebus suis, totidem annos, menses, dies horasqve, quot sui in Sveciâ detenti fuerant, tetro

An. 1569.

An. 1570.

septos tenuit carcere, præter omnis generis contumelias, nullâ non die injecto metu mortis per exquisitâ crudelitatis supplicia. Cumque de injuriâ, quæ ipsis fieret, Johannes Rex per literas exoptularet, superbissimè imperitissimeque respondit, quæ ex Loccenio nostro licet cognoscere. Sub initium anni sequentis, parùm abfuit, quin Revaliæ arx, cum oppido portuque, in Magni Holsati Russorumque potestatem veniret. Claudius enim Kurfel, Livonicorum Equitum Tribunus, qui Johanni Regi fidelia jurârat servitia, cum aliis aliquot Livonici Germanicique sanguinis Nobilibus, sub prætextu sibi collegisque non solum aliquid diu stipendiorum, in arcem admittus, eam cum urbe adtributisque provinciis dolo occupatam tutaturum ait loco pignoris, usque ad persoluta sibi stipendia. Gubernator Regius Gabriel Christierni Oxenstiernius, Baro Mörbyensis, cum nec ad manum esset pecunia, quâ expungi possent debitorum nomina, nec vires, quibus vim improvisam proditoris elideret, coactus est ei inventuram Pentecosten pignus extortum linquere, promittens, se interea à Rege curaturum mitti eam, quæ deberetur, pecuniam. Aliquanto post, cum literas Legatosque à Magno Holsatiæ Duce, Moschi tum cliente, acciperet, augerique sibi ab eo præsidium peteret, Gubernator maturè suâ arte superandos proditores ducens, ad eam rem arte doloque cujusdam Nicolai Dubb!ares utitur, cui inde id cognomen hæsit, quasi aleatorum diceret. Is, patrati homicidii causâ in arce detentis Laurentio Siggonis Sveco, & Christiano Anclam Germano, pecuniam præbuit, quam aleæ sorti palam subjicerent. Hi studio sic versant talos, ut neuter alteri pecuniam, de quâ luserant, cederet. Rixantibus similes, ad pugnos pugnamque rem deventuram simulant. Tandem, custode vigillum adhibito, nonnullisque aliis, conveniunt: dubii juris pecuniam daturam materiem symposio. Empto affatim vino vigiles eisque præfectum sic perluunt, ut circa medium noctis sui compotes non fuerint. Illis sopitis, per Nicolaum adductos trecentos Svecicos milites, duo illi, adhibitis scalis cannabeis, per latrinam foras spectantem in arcem recipiunt, qui paucis obviis trucidatis, ceteros inermes ac nidore vini zythique soporatos vivos capiunt, raptis ad carceres primis sceleris fabris. Exteros vadibus datis, aut jurejurando obstrictos, ut ad diem præstitutam se sisterent judicio, dimisit, qui in societatem perfidiæ tractis Livonorum nobilium pluribus, ad Moschum mox transierunt.

ierunt. Claudius Kurfelius, Fromholdus Dükerus, Henricus Hakius aliique, capite luerunt perfidiam. Henricus Kurfelius, Claudii frater, Georgius Axelius de Padenum, Ernestus de Vitingkhofwe, aliique, in Sveciam missi, vitam, scelere amissam, retinuerunt ex gratiâ Regis, & intercessione Caroli Ducis Sudermanniæ. Iphis Pentecostes feriis, Magnus Holfatiæ Dux, Dorpato movens, Moschuam perrexit, se suaque omnia Moscho dedens, cui petenti, in signum animi benevoli, quotquot usquam ceperat Germanos, libertati redditos donavit. Hunc, concessâ fratris sui filia Maria in conjugem, atque è suâ gente dato viginti quinque millium exercitu, ad perdomandam Livoniam, Regem proclamari iussit. Decevit enim eo uti, tanquam illice ad inescandos Livonos, ratus, longè libentiùs Germanici sermonis Principem admissuros, quam quemvis alienigenam Dominum alium. Non enim magni efferendi, sed sui Dominatus propagandi causâ, quicquid honoris in eum initio contulit, fecit: usus eo instrumento victoriæ, eâdem facilitate dejecturus quâ extulerat. Et primùm malè credulus suspicari id Magnus non potuit. Postea serò didicit, cum in castra Moschici Magni Ducis veniens, & cernuus ipsum adorans, inspectante utriusque exercitu, ejus jussu ignominiosè a lapis exciperetur. Sed ea postmodum acciderunt. Nunc stipatus Moschi suisque copiis, multas movit arces ac urbes Livoniæ, ut se ei submitterent, resiliens mox ab obsequio, cum patuit, nihil ex imaginario hoc Rege accessurum suis rebus presidii. Ingressus verò die XXI. Augusti Livoniam, mox cinxit obsidione Revaliam, missisque in urbem ac omnem provinciam literis, à Russorum imperatore se eis Regem datum perhibet, additasque copias, ut, pulsus Svecis & Polonis, inter plures externos Dominos disceptatæ Livoniæ succurrat, sparsaque ejus membra, in unum rursus corpus, sub unius Principis (semet ipsum intelligens) Christianæ professionis, Germanicæque profapiæ, obsequium redigat. Prædicat insuper insignem bonitatem DEI, qui eò flexerit cor Magni Russorum Cæsaris, ut solemnibus datis literis, iisque firmatis osculo crucis, ipsi hæredibusque ejus, aut, illis non existentibus, Coronæ Danicæ, aut cuiquam ex Holfatiæ Ducibus, Livoniam, Regni titulo hæreditarioque jure, perpetuis temporibus tenendam concesserit, nil sibi juris in eandem retinens, præter Patroni & Protectoris gloriosum titulum: ad quam defendendam, omnes ingenii facultatumque nervos, vitamque

d. 16. Martii.

adeò ipsam velit impendere. Hoc se fine ab eo ablegatum in Livoniam, ut provinciæ graves Sveones inde pellat. Hortari itaque Revalienses, ut sponte se ei dedant, Principi Germano, suiqve sanguinis hæredibus, conditoribusve Danis, rata habituris antiqva privilegia, & concessuris nova, quæ itidem amissuri, extremaqve passuri, si his dictis non obtemperent. His jungebant preces obtestationesqve suas Livoni nobiles, Johannes Duvius, Elardus Krufius, aliiqve, tum secuti Moschi militiam. Sed furdâ aure hos Sirenum cantus excepere Gubernator Regius Oxenstiernius, præsidii Sveonici præfectus Carolus Henrici Hornius, Revaliensesqve, toleratâ fortiter obsidione per menses octo, donec anno sequente, Livonicus Rex Magnus, succensis castris, solutaqve obsidione, spei irritus discedere coactus est. Par fuit virtus & fortuna illustris viri Hermanni Flemmingii in defendendo Wittenstenio: In quibus duabus obsidionibus periisse constat Russorum novem millia. Hoc ipso anno, Selimus Turcarum Imperator, victoriis in Cypro adversus Christianos inflatus, mense Septembri ingentem exercitum Azopho moventem infudit in Moschici jam juris Astracanense Regnum: per cujus agros, prædis latè actis, cum caput regni urbem Astracanam arctâ obsidione clausurus esset, palanti copias suas superfundit Serebrinus, à Moschorum Principe Regno dudum relictus præsidio; atqve ad ripam Wolgæ, semel iterumqve ita cædit, ut relictis impedimentis omnibus, in fugam se effusè dederint, in quâ, & præcipui copiarum duces, & multa Turcarum millia interierunt. Quæ clades eis eò gravior luctuosiorqve fuit, quod multorum dierum intervallo abesset in Caspio mari sociorum classis, adversis ventis detenta, advectura commeatum & supplementa militum. Eâ re cognitâ, clam emissis nunciis, Wolgæ ripam utramqve colentes Moschos monet, commeatum & arma, deniqve quocunqve juvari possit hostis, subducant, præsentiqve animo, è navibus in terram excensuros Turcos adoriantur, anteqvam aciem instruere, atqve adversus fortuita animos obfirmare possint. Parent illi, conglobatiqve in cuneos, in ipsis Ostiis Wolgæ demissis velis fixisqve anchoris stantem classem ex improvise aggrediuntur, repugnantes sternunt, trepidantiumqve confusa agmina concidunt. In eo tumultu multæ naves captæ, multæ depressæ sunt, & præda accepta uberrima. Terra mariqve sic profligati, effusè captant superstites fugam. Sed fugientes eadem for-

fortuna urget. Quotidianos enim labores excipit omnium rerum penuria, penuriam fames, famem lues; fuitque ea passim morientium factitas, ut via omnes completerentur cadaveribus: alitesque ac bestiarum escarum illecebris sollicitatæ agminatim discedentium exercitum sequerentur. Et eo quidem tempore, pro Imperio Moschorum divina indulgentia visa est excubare. Nam tormentarium pulverem, Azophi ad belli necessitatem à Turcis coacervatum, celestis flamma absumpsit, oppidumque & arcem prodigioso impetu diruit. In ultionis aliquid solatium, sibi dicto audientibus Tartaris imperat Turcarum Imperator, ut cladem clade in Moschos pensent. Quorum Rex Precompescius, cum septuagies mille Tartarorum exercitu Moschoviam pervolans, agros ferro igneque vastat, & Moschuam Imperii sedem, majori ex parte ligneam, prope delet, necatis abductisque civium trecentis millibus, solâ arce servatâ, quæ lapide structa, instar ampli oppidi. Solutâ, ut diximus, obsidione Revaliensi, omnem debacchandi impetum Moschi in Finnoniam converterunt, vastatisque limiti proximis agris, cum prædâ & captorum omnis sexus ætatisque ingenti multitudine, in suas terras revertuntur. In Dorpatensi diocesi, Reinholdus à Rosâ, Equitum præfectus, Moscho hæctenus militans, re communicatâ cum Johanne Duvio & Elardo Krusio, immanem Moschi in suos vicinosque exercitam crudelitatem perosus, ab ipso deficere cœpit, urbemque Dorpatensem jugo ejus ereptam libertati adserere parabat. Sed in urbem admissus, cum à civibus Germanis, consilii ejus ignaris, non juvaretur, à Russico præsidio repulsus concisusque est, & plerique Germani cives, cum conjugibus & liberis à Russis trucidati, bonaque ipsorum direptioni exposita. Duvius & Krusius Livoni, quos ad summum dignitatis & opum fastigium Moschus extulerat, sæpè eos velut fidissimos sapientissimosque consiliarios prædicans, malè sibi conscii, ad Sigismundum Poloniae Regem transivere. Ob quorum defectionem, veritus iram Moschi implacabilem Dux Holsatiæ, in Osiham profugit. Hoc etiam tempore contumeliosas accepit Rex Johannes à Moschico Magno Duce literas, quas ab initio dedignabatur responso, sed cum hostis Barbarus, magnanimi Regis silentium, pro invitamento haberet majoris insolentiæ, tandem impuri oris calumnias mordaci liqvore veri diluens, ita feri ferocientisque animum responsi severitas, Germanorum defectio, Tartaricæque cladis magnitudo pu-

pugerunt, ut inauditâ crudelitate in captos Svecos Livonosque sævierit, ne quidem à fratre Germano ejusque conjugè abstinens, quibus & alios è suorum numero addidit, quorum plus quam tragica exempla dat longâ serîe Lunderpius, ad quorum lectionem fas sit animo exhorrescere. Tam acerbum autem fuit hoc tempore in Sveones Moschi odium, ut non solum in Livoniâ Finnoniaque prehensos exquisitis suppliciis sævierit, sed emissis incendiariis urbes aliquot in ipsis Regni hujus visceribus, velut Upsaliam ac Enecopiam subdito igne exufferit, facturus haud dubiè idem in pluribus, ni excubiis per Regnum diligenter constitutis, Rex prudenter avertisset periculum. Sed hanc hostis truculentiam digne castigavit in Livoniâ vir Senatorii Ordinis, manu consilioque promptus Claudius Achatii Tott, proavus Illustrissimi Comitissæ Claudii Tott, qui suæ stirpis apud nos ultimus, ante paucos annos Legati Extraordinarii munere fungens, apud Gallos obiit. Is postremo anni hujus mense, tribus præliis congressus cum quadraginta Moschorum millibus Harriam Wichiamque vastantibus, duodecim millia concidit, superstites fusos unius prope dici itinere intra Moschoviæ fines persecutus est, quâ de re etiamnum existat diploma Johannis Regis, ad Episcopos Regni scriptum, quo edicit anno sequenti perfolvenda DEO ob tam illustrem victoriam gratiarum solemnia. Sane, exiguâ manu (sexcentos equites, centum pedites sunt qui solum fuisse scribant) tantum fudit hostium. Minorem Moschorum numerum hic ponunt alii. Sed nos auctoritatem hic sequimur diplomatæ Regii, quod ista repetit ex Ducis victoris ad Regem eâ de re literis. Ipso hoc anno Sigismundus Augustus Rex nonis Quintilibus Knifiniæ in Lithuaniam moritur, nullis hæredibus relictis ex Elisabetha & Catharina sororibus, Ferdinandi Cæsaris filiabus, & Barbarâ Radziviliam, quam inter eas mediam uxorem habuit. Huic successit Henricus Andium Princeps Gallus, Caroli Noni Gallorum Regis frater, qui vix totis mensibus quatuor à coronationis solempni, summæ rerum præfuit; accepto nuncio fraternæ mortis, aviti hæreditarii que quam externi electiique regni amantior, infcio senatu Polono, Poloniâ excedens, suam Galliam, adplaudentibus nativis civibus, repetiit. Isthæc Polonici regiminis vicissitudo, ut à Polonicis armis res Svecicas in Livoniâ aliquantò minus infestatas præstitit, ita Moschorum impetum gravio-rem experiri fecit. Polonis quippe, inter prensationes Maximiliani

An. 1572.

d. 7. Julii.

Cæſaris pro Erneſto filio, Johannis Sveonum Regis pro filio Sigismundo, & Johannis Baſilidis Moſchici Magni Ducis pro ſe aut filiorum altero, occupatis in legendi Regis perplexo negotio, Moſchus, occaſionem ſe naſtum ratus, felicius quam haſtenus captandæ Livoniæ, ipſis Calendis Januariis, non ut antea per Legatos, ſed ipſe cum duobus filiis, ſtipatus exercitu centum millium, Livoniam ingreditur, poſitiſque ad Wittenſtenium caſtris, ſexto poſtquam advenerat die, arcem præſidio ferè vacuum, vi expugnavit, inauditaque in captivos, præcipuè Svecos, crudelitate ſæviit, inter quos Johannem Boye præſidio præfectum, clari apud nos generis virum, aliosque verubus fixos ad lentum ignem frixit. Inde cum potiori exercitus partè Nøvogardiam recedens, Gregorii fratris filiam, non ex Andrea ſobrinam, ut plerique tradunt, Hoſtatiæ Duci Magno, à ſe prius creato Livonum Regi, elocavit. Ad Lodam ab ipſo relicta ſedecim millium copiarum, virtute Claudii Achatii Ducis, exigua Svecorum manu, in primo conflictu ſigna ipſorum deſerentibus Livonis, aut caſæ, aut diſſipata prorsus ſunt. In pugna ardore cecidiſſe feruntur ſeptem Moſchorum millia, reliquos ſuis metus egit in fugam, receptos à captorum per Ruſſos locorum præſidiis. Diffugientium præda omnis, quam uberem ex agris captis que locis congeſſerant, ceſſit victoribus. Hoc ipſo anno, circa finem Auguſti menſis, de firmandis provinciæ rebus, de conſciendo feliciter bello, deque Germanicorum militum ſtipendiis cum cæteris acturus, in Livoniam primùm mittitur à Rege Johanne PONTUS DELAGARDIUS, cujus cauſa, inde à longiſſimis retrò temporibus, compendio repetitam volumus omnem Livonicarum rerum memoriam, eandem cum reliquis Ponti rebus continuaturi, uſque ad id tempus, quo ipſe terrænæ militiæ ſolutus cingulo, glorioſi in cœlis tropæi ovans factus eſt particeps. Hoc itidem anno VI. Idus Maji Henricus Andium Dux, conſentientibus Ordinum ſuffragiis Poloniæ Rex electus eſt. Cujus poſtremis menſibus, crebris ad Claudium Achatii Pontumque Delagardium literis urget Johannes Rex, ut perſolutis ſibi in Livoniâ militantium Sveonum, Germanorum Scotorumque ſtipendiis, junctisque conſiliis ac viribus expeditionem in Narvam ſuſcipiant, per quam, & aliarum gentium, & præcipuè Lubecenſium negotiatores, ſub mercimoniorum ſpecie, Ruſſis bello neceſſaria adferebant: quorum propterea na-ves, permiſſu Regis, in mari hoc noſtro excubantium præcipui Otto

An. 1573.
d. 1. Januar.

Weidenstruchius & Antonius Pflugius infestârunt interceperuntqve. Quas aliquamdiu detentas iterum restituit, metu magis quam damno impedire volens gravem rebus suis illic non dudum cœptam cum Russis commercandi licentiam. Sed cum nec sic lucri cupido interdictis abstineret commerciis, decrevit Rex, aut vi emporium hoc capere, aut demersis ante ostium Narvam perluentis fluminis, saxo oneratis carieqve corruptis quibusdam navibus, portum obstruere, & navigantibus inutilem reddere. Eo sine jusserrat Hermannum Flemmingium, cum aliquot Fennorum turmis se dictorum Ducum copiis jungere, atqve è Finnoniâ, cui prætor impositus, naves in hanc rem necessarias adducere. Sed Claudius Achatides, cui cæteri parere jussi, rem curavit solito segnius, sive culpâ externi militis, etiam stipe depensâ detrectantis obsequia, sive defectu rerum necessariarum ad executionem tanti negotii. Certè, Flemmingius, contrâ quam Rex jusserrat, cum suis ad interiora recessit Finnoniæ; & Achatides, per postremos aliquot hujusdem anni menses, spe potiundi, ad Wesebergenensis arcis obhæsit mœnia, tentataqve aliquoties oppugnatione, semper cum clade suorum repulsus est. Tandem, ut spes castelli obtinendi profusus evanuit, ob eandem Scoti unius per Germanum, orta est seditio in castris inter Germanos Scotosqve milites, qui ad quinque millia superiore anno Revaliam adpulerant, eo eventu, ut illorum paucis desideratis, horum mille quingenti perierint, & superstites arreptis signis ad Moschos Wesebergam tuentes profugerint, atqve Svici, re infectâ, mense Aprili anni sequentis, Revaliam redierint. Eo successu elati Russi, per sequentem æstatem bonamqve hyemis partem cædibus & rapinis Harriam divexantes, ad Revaliæ usque muros progressi sunt, velut obsessam tenentes urbem, ne qua usquam pateret ingrediendi exeundive facultas, abductâ ingenti hominum jumentorumqve multitudine. Nec mitius à suæ nationis Equitibus habebantur circumpositos agros culturi rustici, tanquam communium spoliolorum fructus indigenis amicisqve potius quam extraneis hostibusqve deberet cedere. Eo illic rerum statu, Rex adulto mense Aprili Claudio Achatii, quod parum esset felix sedandis tumultuantium militum seditionibus, & cætera Livoniæ ductu ejus parùm prosperè succederent, militare in Livoniâ abrogat imperium, revocatqve ætate gravem ad curanda negotia alia in Sveciam, substituto in locum ejus cum plenâ potestate administrandi civilia ac militaria

munia Ponto ; cui simul mandat, ut quoniam totiens Scotorum Equitum peditumque, imperia Regis Ducumque spernentium, inobedientia, bene res gerendi occasionem corrupisset, eos exautoraret ac dimitteret, & seditionis nuperæ capita, tribunum Archibaldum Comitum Ruduinum, Legatum ejus Baphurium Franciscum, Munchrivium, nonnullosque alios diligenti custodiâ septos, mitteret in Sveciam. Hi paulò post, cum Carolo Mornæo Gallo, qui diu apud Johannem Regem in summo honore fuit, jungentes consilia, vitæ Regis struxere insidias, in animo habentes, personatorum specie, in honorem Regis exhibitis inter nudos gladios choreis, ex improvîso ipsum interimere, interemptoque surrogare fratrem Ericum eductum è carcere. Sed re detectâ, rejectisque saltatoribus, successu infandum scelus caruit, reciditque in autores justa pernicies, aliis ultimo supplicio adfectis, aliis ignominiosè pulsis solo Sveciæ. Hoc anno obiit dioceseon Monasteriensis, Osnabrugensis Paderbornensisque Præsul Johannes Comes de Hoya, patre cognomine & Margareta Gustavi Primi Regis sorore Viburgi natus apud Fennos, Princeps Johanni Regi & sanguine & amore fideque conjunctissimus. Eodem tempore Johanni Regi mittit Pontus apographa literarum Cæsaris Danicique Regis ad Moschum, quibus profitentur, vi se recepturos possessa à Sveco in Livoniâ, sine compensatione ullâ sumptuum. Quod non fuisse ex vano sequentis anni acta arguerunt. Eo quippe ineunte, Regis Johannis Equites, nobiles Livoni & Germani, arces & oppida Hapsaliam, Lodam, Lealumque, ante sesquiannum, obstipendia non soluta, Regis Johannis jussu ipsis oppignorata, Daniæ Regi perfidè vendunt, Præfectoque ejus in Osilia Nicolao ab Ungern tradunt, receptis promissis, ad proximum festum Johannis Baptistæ solvendâ ipsis octuagies, est qui tradit, nonagies & septies, mille aureorum pecuniæ, nec non securitatis indemnitasque à Moschorum viac injuriis, cum quibus Rex Daniæ tum pacem & foedus habuit. Hunc malæ fidei actum, cum per literas & nuncios ad Danum, Johannes Rex iniquissimum ostenderet, & non solum Stetinenfi transactioni, verum etiam nuper datæ sibi ab eodem cautioni contrarium liquidè doceret, ac propterea nefariè sibi interversa reposceret, frustra egit. Sed solutio promissa malignè expensa fuit: & mox Russi omnem illius tractus agrum crudeliter direptum vastaverunt, id palam agente Divinâ Nemese, ut fructu

An. 1575.

d. 25. Januar.

An. 1576.

promissorum perfidi caruerint. Sed nec Fridericus Rex majus fecit hujus operæ pretium. Quippe sub initium anni sequentis reversi Moschi, arces Lodam, Leatum, Vickeliam, & ipsam tractus illius metropolin Hapsaliam, præfidiis, commeatu & armis instructissimam, flagitiosâ Præfectorum seu ignaviâ seu perfidiâ, Michitæ Romanovitio Russorum militari Duci deditit. Sic accersiverunt venditores, terræ, quam tueri debuerant, vastitatem; sibi, præter damna alia, æternam perfidiæ memoriam, emptori ludibria. Expostulanti enim ei per Legatos de injuriâ, respondit Moschus ludenti similis, nescivisse se, arces illas, quæ hosti suo Sveco paruerant, in potestate Dani tum fuisse, & principium injuriæ manasse ab Osiliensi Præfecto Danico, qui suos prior irritaverat. Idem Michita, traductâ parte copiarum in Osiliam & Dagön, bello hæcenus intactas insulas crudeliter diripuit. Quibus cum ubere prædâ reversis, inter Finlandiam & Novogardiensem Ducatum pacem pepigit Moschus in biennium, callidè exclusâ Livoniâ, ne viam sibi præcluderet obsidendi Parnoviam, in cujus oppugnatione primâ, septem millia amisit. Oppidani & præfidiarii videntes, clade eâ irritatiores in se Moschorum animos, suis diffisi viribus, pro obtinendis Danorum adversus eosdem auxiliis, Danico in Osiliâ Præfecto Ungernio deditioem spondent. Sed ferendæ opis dedendæque urbis stipulationem mutuam inturbavit Sveonum Danorumque illicò mota lis & dimicatio. Partem insulæ, Danorum injuriis concitatus Johannes Rex, fratri Regis Daniæ Magno Holsato, postquam in servitium Moschi transit, adeptam, sororio suo Magno Saxoni Lawenburgico, nuper avitis ditionibus per natu minorem fratrem ejecto, concesserat. Inter hunc & Præfectum Danicum Ungernium lis orta de possessione Monæ insulæ, quam Saxo Sonneburgensi arci, quam tenuit, Præfectus vero Danicus Arensburgensi castello sibi tradito, velut propriam appendicem adsertum ibant. Rixâ incalcescente, à verbis ad vim deventum est, capiturque ab adversario Ungernius, eoque capto promissarum Pernoviensibus suppeticarum spes intercidit. Illi hac depulsi anchorâ, alteram deditioem arripiunt. In deditos Moschus insolitâ genti suæ clementiâ moderationeque utitur. Ut pacto convenerat, oppidanis permittit cum conjugibus, liberis, & quibusvis quæ moveri poterant rebus carissimis, sive manendi sub Moschi imperio, sive aliò se conferendi, facultatem liberam. Potior

tior pars discessura, rebus lectissimis in naves impositis, immani Saxonis avaritiâ, spoliata est. Qui mox præferocis ingenii mores suos omnibus exofos cernens, metuensque vim aut defectionem provincialium, discedendo in Sveciam, capto Danico Præfecto occasionem præbuit exeundi ex carcere, recipiendique omnia, quæ non Danici tantum, sed Sveonici quoque juris illic hæctenus fuerant, indignanter isthæc ferente Rege Sveonum. Sic viri unius perverfi mores, diu magnoque impendio illic parta repente subverterunt. Hoc anno, abdicato Henrico Gallo, Stephanum Bathorium Transylvaniae Principem sibi Regem, Annæ Sigismundi Augusti Poloniae ex Jagellonum stirpe ultimi Regis & Catharinæ Svecicæ Reginae sorori maritum legunt Poloni, atque Calendis Maji Cracoviae ipsi conferunt regni insignia, repudiato Maximiliano Cæsare, quem pars Procerum priorem elegerat, sed cunctabundum tergiversantemque postulatis de sacrorum & religionis libertate annuere, iterum destituit. Iisdem diebus à Livoniâ in Sveciam revocat Rex Pontum, usus operâ ejus in Legationibus ad diversos principes: de quibus acturus sum ordine eo, quo ipse eis perfunctus est. Prope finem mensis Junii, jussu Regis, de quibusdam negotiis Regni gravioribus invisit fratrem Regis Carolum Ducem Suedermanniæ. Inde reversus, acceptis mandatis literisque, instructus insuper comitatu rebusque necessariis, XI. die mensis Octobris, Holmiâ d. 11. Octob. discessit, conscensaque nave, in juncto se dedit itineri. Nonâ post die solventem Elfsnabbenfi portu, mox excipit, eo plerumque anni tempore faviens tempestas, jactatumque salo, die dicti mensis XXIV. illi d. 24. Octob. fit vado scopulisque Bornholmiam cingentibus, sic, ut contracta nave plerosque comitum, ad numerum duos & triginta, necessariam supellectilem, pecuniam, vestes & scriptis tradita mandata, nec non literaria monumenta alia, moti maris fluctus aut hauserint, aut perfusa liqore corruperint. Et hæc damna, & ex naufragio adversa Legati valetudo, & post naufragium tandem cognita mors Cæsaris, quem primo loco convenire debuit, moras suscepto itineri injecerunt. Cæsar præventum se dolens à Bathorio, & repudii injuriam graviter ferens, nihil non agere coepit, ut suis & foedere junctorum Principum viribus regnum electione delatum tueretur. Cumque ad eum sub idem tempus Moschorum Legati venissent, magnâ pompâ literas aureo panno, gentis superbæ more, involutas à Johanne Basfilide Magno Russorum Duce

afferentes, quibus opes suas contra Bathorium, Amurathis communis Christianorum hostis commendatione alienum regnum invadentem, offerebant, non mediocriter gavisus est Cæsar, & pro tam benivolo erga se animo, gratias Legatis egit, nec recusare se dixit, quo minus amici Principis, cum occasio ferret, opibus & auxiliis uteretur, suas vicissim pari gratitudine deferens. Convenerat inter eos, filiorum Cæsaris unum bello petiturum Borussia, Moschici verò Imperatoris alterutrum Lithuaniam. Consiliumque Moscho erat, bello inter contententes de legitimâ electione accenso, Livoniam jam diu controversam invadere, & sui juris facere. Cæsar autem sic judicabat, dum cum valido exercitu Regnum ingrederetur, & Moschi à tergo incumberent, fore, ut proceres sibi adversantes temeritatis suæ pœniteret, & Bathorius regno tuendo adversus tam potentes Principes impar, in Transylvaniam Daciamque suam, cui nuper Christophorum fratrem post se Rectorem dederat, sese reciperet. Igitur dimissis honorificè Moschorum Legatis, Cæsar Ratisbonam ad comitia à se indicta venit: ubi occultis prensationibus de auxiliis pro tuendâ suâ ad Polonicum regnum legitimâ electione sollicitati Principes Imperii & Ordines. Missi etiam in eam rem ad Sveonum Danorumque Reges Legati, arma adversus Principem Turcorum beneficiarium, & ut vocant, vasallum, de Imperio & ei sociatis fœdere Principibus quasi triumphantem, conjungi petentes. Sveciæ Rex, gnarus, sed dissimulans, quibus cum Dano consiliis Cæsar usus, occurrere in animo nuper habuerat Sveonum in Livoniâ progressibus, ab opis alibi quam in Livoniâ ferendâ promisso se modestè excusabat, causatus, foris gravem sibi Moschum adversarium, & domi nec ita tuta omnia, ut non adversus insidias perfidorum, Erico exautorato studentium, ut nuper constitit, excubandum sit. Adhæc, novi ad finis Bathorii Legati tum constituti Holmiæ, non parum obstiterè, ne Rex Johannes fœdus cum Cæsare adversus novum ipsorum Dominum iceret. Danus quoque amorem in Cæsarem verbis benignis testatus, obstare ejus precibus sua cum Moscho fœdera, respondit. Inter hæc, cum tantæ molis bellum in Poloniâ gerendum anxios omnium animos teneret, die XII. Octobris, proximo postquam Pontus Holmiam reliquit, mors incidit Maximiliani II. Cæsaris, quæ & eâ sollicitudine Austriacos, & Bathorium novum Regem omni armorum metu ab illâ parte liberavit. Fecit harum rerum mutatio, ut

Pon-

Pontus Legatus, mutari in literis & mandatis suis nomina, & Cæsaris, ad quem iret, & comitum cum quibus iret, à Rege suo peteret, & innovari codicillos ita corruptos madore, ut legi in his scripta multis locis nequiverint. Inter cæteros, à secretis sibi traditum ab Rege, Petrum Michaëlis, egregium rerum lingvarumque peritiâ virum Svecum, naufragio amissum doluit, in cujus locum substitui petiit Hermannum Bruferum, prioribus Legationibus atque aliis rebus fidâ navatâ operâ Regi probatum. Cum Danico Bornholmienfium Gubernatore Mandorfio *Vasberg* per literas & nuncios egit Pontus, ut bona naufragio amiffa, quæ Bornholmienfes ære ejus conducti è fundo maris expiscaturos se promiferant, ad se reciperet, bonaque fide, repositenti Regi Sveciæ, redderet, eâ de re certiozem faciens Regem suum per literas. Quos superius à Cæsare dimiffos Legatos Rufficos diximus, per Germaniam Stetinum usque, atque inde Stralfundiam sumptu suo perducere Maximilianus fecerat, illic ob ventos aduersos glacieque paulò post stratum mare, per hyemem sumptu Magni Ducis manufros, circa finem Novembris per literas Regi suo narrat Pontus, unde pri-
mo vere solventes, cum Pernoviam Narvam ve petituri essent navi-
bus, opportunos fore monuit maritimo illo itinere infidiis: quas illi
tamen declinârunt, tepentibus mox ventis dissipatâ glacie, Parnoviam,
quò destinârunt iter, incolumes perlati. Sed dum nuncium Regis cum
rebus quas è Sveciâ expetierat præstolatur Pontus, ipse valetudini ope-
ram dans, per Hermannum Bruferum Stralesundenfem Senatui sui Regis
literas tradit, ac mandata in hunc modum, aperit. Senatui consti-
re, ex merâ Regis gratiâ, urbis Sundensis civibus, præter alia privilegia,
immunitatem à vectigalibus & portoriis concessam in Sveciâ, quam re-
vocare quidem nolit, rogare autem, ut sicut id beneficii, quibus colla-
tum, ingentem adfert fructum, ita auctori Regnoque ejus nullum da-
mnum pariat; quod omninò fit, quamdiu, ut hæctenus factum, sub
Sundenfium nomine, etiam aliarum Vandalicarum urbium cives, qui-
bus id jus in Sveciâ non competit, in ejusdem participationem subre-
punt simulatione callidâ, quâ fraus ingens fit debitis regno redditibus.
Ad quam in posterum excludendam, Rex petit, ut Sundenses cives, sui
senatus literis, jureque jurando suo, in Sveciâ firment, suas, non alie-
nas se ferre merces. Dein monuit, Sveciæ civibus magno cum damno,
unde crebræ ad Regem querelæ, Cerevisiam Sundensem corruptam

Legatio ad
Stralesunden-
ses.

pro bonâ , & Sundanam pro Rostochiana non rarò vendi , qui similiter dolus in posterum ut vitetur , rogat Rex , ut dolia , quibus incorrupta ejus generis merx vehitur , radio Sundensi insigniantur , sic fructura immunitate portorii , non aliter. Præterea , civium Svecicorum frequentes ad Regem perferuntur querelæ , de ponderis & mensuræ apud ipsos non ita pridem variatâ ratione , quâ fiat , ut in Sveciâ adpensâ stateræ , & mensurata medimno , apud Sundenses aliosque Germanos , non expleant ponderum mensurarumque justos numeros , quæ emendari Rex petit ad Lubecensibus antehac usitatum trutinæ medimni que modum , ut de tribus istis postulatis jam ante Rex cum Benedicto Furstenavio ad ipsos perscripserat , sed nihil responsi tulerat. Adhæc querebatur Rex , navem bello cum Danis ac Lubecensibus proximo , hosti à suis ademptam , & ante annos aliquot eidem Furstenavio cum mercibus quas vehebat à Rege donatam , contra voluntatem literis Regiis expressam , ei detineri , propterea quod Lubecensium & Bornholmiam incolentium nonnulli , aliquid sibi juris in eam fingant , quæ tamen flagrante inter partes bello capta , jure belli Regi cesserit , cui quoque soli competit , aut sibi retinere , aut benè de se meritis donare , præcipuè cum pace Stetini constitutâ , aliter de eâ non convenerit. Cumque eo nomine & ad Regem Daniæ , & ad Lubecenses eâ de re scripserit , ii que nihil habuerint quod jure obverterent , monere Regem , ut Sundenses , apud quos ea navis substiterat , sine morâ ulteriore reddatur cui donata est. Tandem , traditis Senatui civium Stockholmensium *Andræ Larsons* & *Pauli Saxonis* supplicibus ad Regem literis , quibus ille opem Regis implorat , pro impetrandâ à Sundensibus injustè sibi denegatâ parte possessæ navis institoria : hic interceptum ab eisdem ferreorum globorum , quibus campestris machinæ onerantur , ingentem numerum. His monuit Rex sua restitui. Ad horum postulatorum tria priora respondit Senatus , mox emendaturum se ea ad eum modum quo Regius Legatus petierat. Ad posteriora verò tria , pro diversâ cujusque indole , ista reposuit. Furstenavio quidem non ulterius denegatum iri prætensam navem. Censere verò Senatium , eâ redditâ , æquum fore , ut idem , de eâ non aliàs repetendâ , & indemnitate Senatui ac civium ob eam redditam , per literas ipsis caveat. *Andræ Larsonii* petitionem nullo jure niti ferebat Senatus , ut superiore anno Regi monstratum agebat per *Nicolaum Stevium* &

Benedictum Furstenavium , quorum factæ demonstrationi Rex tum plenissime adqueverit. Demisse itaque rogavit Senatus, ut æquissimus Rex, semel ad plenum cognita veritate rei, importunè cramben eandem reponentem civem repelleret. Si quid autem adhuc sibi juris superesse putarint in dictæ navis partem, quam Henrico Steinio se commisisse ait, cum ejusdem Steinii hæredibus jure agere poterit, experturus in se summam Senatus æquitatem, pro rei ab ipso petita genuinâ indole. Mirari verò se ait, quod Paulus Saxo ferreas istas pilas reposcere à Senatu sustineat, cum omnibus constet, quomodo se res ista habuerit. Quamvis enim à Legatis Svecicis eo tempore hic constitutis, ipsi & Erico cuidam Nicolai, mandatum fuerit, ut dictas pilas, quas Lötzii Regi Daniæ, flagrante tum bello, allaturi erant, extra Sundense æquor Jellen dictum interciperent, tamen in confesso est, interceptisse in aquis urbi propriis, quas, durante bello, à partium bellantium vi imperturbatas fore convenerat. Inde cum suâ navi Paraviam discesserant, in cujus littore partem dictarum glandium defoderunt, partem in mare projecerunt, reliquas in navi deferentes. Conquerente autem mox Stetinensi nauclero de vi injustâ, vocanteque in jus qui eam intulerant, nave propinquo urbis hujus loco subsistente in anchoris, Saxo cum focis omnibus & navem & pilas dereliquerunt. Cum itaque mox belli initio civitas hæc palam omnibus securitatem in aquis littoribusque suis promiserit, ad crebram requisitionem Stetinensis naucleri, jus sibi esse putabat, navem cum glandibus ad se receptis restituendi his qui amiserant, terrâ conditas relinquentes his, ad quos spectabat fundi, in quo conditæ, possessio. Adhæc, diffugientibus interceptoribus, nec longo tempore reversis, haberi aliter quam pro derelictis nequivere, quæ jure perspicuo venire debuerunt ad occupantes, mox ad eos qui amiserant. Cumque Benedictus Furstenavius omnem veritatem rei gestæ edocuisse Regem Serenissimum, palam professus est Rex, de cætero adqueviturum se rei tam liquidæ. Postquam verò ante annos undecim, dicti pilarum interceptores à Consule Joachimo Klinkavio vini aliquot cados emissent, cujus pretii solvendi onus, syngrapha pro se sociisque datâ, in semet solum Saxo receperat, liquidi juris visum omnibus, solvendi debitum sponsori soli incumbere, idque pecuniâ promptâ, non pilis interversis, quæ non consuli, nec civitati, sed prioribus possessoribus cesserant. Adhæc, cum idem consul Saxonem in

judicio

d. 8. Decemb.

judicio conveniret, pro consule pronunciata est sententia, contra quam ad Regem provocante Saxone, & illic causâ succubuit, ratum habente Rege, quod iudices censuerant, sic, ut Consuli ad solutionem debiti obtinendam, nihil defuerit, præter executionem sententiæ, quam Rex Wenceslao injunxerat, de quâ Saxo alienissima à vero retulerat. Hæc ad mandata Regis Sundenses respondere, de cætero se suaque ei commendantes quam enixissimè. Ista sub initium mensis Decemb. apud Stralsundenses acta sunt. Mox recuperatâ valetudine, relictis- que rebus è Sveciâ necessariis, die mensis hujusdem nonâ Stralsundâ discedens versus Ratisbonam tendit, obliq̄vato itinere, ne Johannis Georgii Brandenburgici Electoris caperetur insidiis, quas strui sibi certò

d. 13. Decemb.

Legatio ad Sa-
xonem.

compererat. Per Damgartum quarto inde die Rostochium venit. Hinc sequens ductum Albi, Atterburgi convenit Franciscum Senioremem Ducem inferioris Saxonie. Post salutem ei nomine sui Regis dictam, delataque Regiæ benivolentiæ officia, rogat, ut Magni Franciscique filiorum perniciosas domui inimicitias, autoritate paternâ sedare velit, opeque filii Henrici Bremensis Archiepiscopi, & post Johannem Höjensem Osnabrugensis Paderbornensisque Episcopi, quâ fieri possit æquâ honestaque ratione dissidentium tollere odia, facereque, ut Magno, secundum Buchensem inter fratres transactionem, se & Claudio Bielckio antea conciliatoribus factam, de qua superius sua Ducatus pars restituatur, & pristina concordia, vi belloque labefactata, patris fratrisque autoritate sarciatur. Certum enim esse, non quieturum Magnum, nisi amissa recuperet. Nec Regem ad finem æquâ mente laturum, ut extorris vagusque cum conjugè Regiâ sorore oberret, private- turque avitâ ditione, quam amplissimâ uxoris dote locupletio- rem ornatio- remque fecerat. Iterumque rogat Ducem, ut his pensatis, tantò majorem in filiorum offensis sanandis ponat operam, quantò majus pro suâ prudentiâ metuendum cernat damnum, si in apertam, ut prius, belli flammam prorumpere ea faciat verborum factorumque continua- ta acerbitas. Dux, delatâ Regi suâ inserviendi promptitudine, adpre- catusque felicia, miti ore respondit. Provocare se tutò posse ad con- scientiam Legati præsentis, absentisque Bielckii, nec non Bruseri, utris- que tum, ut nunc Ponto soli, à secretis, quam paterno benignoque in Magnum fuerit animo, & quam cupidè in congressu illo Buchensi saluti ejus iverit consultum, monueritque salutaria: *Quam vicissim*
ipse

ipse parum sanctè servàrit, quæ patri fratribusque tum repromiserat, testem non solum ipsum se, sed bonam quoque exhibere partem civium, quibus, nisi maturè itum fuisset obviam, turbidum feroxque ingenium perniciem attraxisset ultimam, vicinorumque quietem tulisset è medio. Non abnuere se patrem, inter altercantes filios, fidam amoris renovandi operam; Prævidere tamen, futuram eam inutilem, quoniam, ut nunc se res habent, parum benè sibi cum filio Francisco conveniat. De negotio tamen ipso deliberaturum cum filio Henrico Archiepiscopo, ablegaturumque nuncium ad aulam Imperatoriam, demissè suo nomine rogaturum, ut novus Cæsar clementer renovari jubeat labantem jam diu suæ domus concordiam. De his rebus mox Regi suo literas mittit Pontus in Sveciam, scriptas die XXII. Decembris Hanoveræ, quæ urbs tum spectabat ad Ericum d. 22. Decemb. Ducem Brunsvigium. Ad hunc de adventu suo misit Legatus nunc- Legatio ad cium, vocanteque ipsum Duce, mox invisit Calembergæ die mensis Brunsvigium. ejusdem vigesima septimâ. Sequentique mox luce, quâ innocen- d. 27. Decemb. tium puerorum celebratur memoria, & voce & scripto de rebus sui Regis in hunc modum egit Pontus. Principio, nomine Regis dictâ Principi amanter salute, gratulatusque felicia auspicia novi ex domo Lotharingicâ connubii, optat, ut cum secundâ hac conjugè Dorothea, Francisci Lotharingi & Christinæ Danicæ filiâ, Christiani Secundi Danorum Regis nepte, concors, multâ frugique prole, ac cæteris domum illustrem firmantibus rebus beatum diu habeat conjugium. Dein ostendit, suum Regem, omnes quidem Christianos Principes universim, Germanici verò nominis, atque in his Brunsvicensis Luneburgicique stemmatis seorsim, amore quodam complecti præcipuo, utpote cum quibus non uno nomine arctissimâ sit junctus & sanguinis & officiorum necessitudine. Quâ fretus, voluerit ab adfinitate Duce peramanter rogare, ut in his, quæ faciunt ad fulciendam perpetuandamque Regiæ Ducalisque domus conjunctionem, præbere velit benignam opem ac operam. Non ignorare autem Illustrissimum Ducem, morte Sophiæ, conjugis Henrici junioris Luneburgici Brunsvigicique Ducis in Volferbüttel, quæ marito præmortuo, sine ullâ prole nuper decesserat, proximas post se hæredes liquisse sorores, Catharinam ac Annam, Sveciæ Poloniæque Reginas hodiernum. superstites: cujus tamen bona universa, prævignus Julius, post patrem

Luneburgensis Volferbytius Dux, in thori consortem ductâ Hedvige, Hedvigis Reginarum sororis & Joachimi II, Brandeburgici Electoris filiâ, præter fas invaserat. Poscente verò Sveonum Rege per Legatos suæ conjugii debitam bonorum relictorum partem tradi, non tantum non tradiderat, sed tradendam etiam negaverat, prætexens, plus reliquisse novercam in debitis quam bonis, & si quid bonorum reliquerat, expensum in sumptus funebres, quibus de summâ relictorum detractis, nihil aut perexiguum futurum quod superest. Insuper, nescire se dixerat, quo jure tituloque hæreditatem eam petat. Rex Sveciæ, quum novercæ decedenti nec suus nec necessarius hæres fuerit. Quamvis verò in contrarium Rex liquidis rationibus & argumentis per suos monstrari fecerat, rem se habere longè aliter: tamen, ipso renitente, extundi aliud responsum à consiliariis ejus non poterat, quam quod Regiæ petitioni annuere nolit ac nequeat. Cum autem Rex responso tam iniquo adquiescere, nec per jura possit, nec per tuitionem rebus conjugis debitam velit, facile videre Regi adfinem Illustrissimum Ducem, si pertendat in hæreditatis injustâ detentione patris ejus nepos Julius, non superesse aliam ejus obtinendæ viam, quam disceptationis, aut juridicæ aut bellicæ, quarum utraqve quum difficultates pariat omnium maximas, & sapienti ac pacis amanti, & quod plus est, Christiano Principi conveniat, omnia alia experiri prius, quam aut bello aut judicio cum amico agnatoque Principe contendat, rogare per & humaniter & amanter ipsum Regem, ut agere velit cum cognato Duce, de cessione ejus per benivolentiam, quod retinere sibi nequeat per legum justitiam; quo officio amor mutuus inter cognatas Regis Principumque domos accendatur serveturque, quem extinguere attenuareve non raro solent litium calumniæ. Similiter Duci notum, ait Pontus, Franciscum Seniore, Ducem Saxonie Lavenburgicum, Magno, filio natu primo, ante annos aliquot cessisse Ducatum Saxonie, cessioneque factâ, obtinuisse filio nuptias Sophiæ, Sororis Regiæ: cujus acceptâ amplissimâ dote, Ducatum traditum multis modis meliorem orationemque fecerit: quo per vim tamen eum dejecerat natu minor frater Franciscus, dictus junior, adversus morem regionis veterem, hæreditariasque sanctiones priorum Ducum Saxonie, quas pater Franciscus, filiis adsentientibus, sanctè inviolatèque servandas præceperat.

rat. Pro suâ prudentiâ videre Principem, vim hanc, simultatibus bellisque inter fratres alendis esse peropportunam, tantò facilius, quanto iniquius duxerit Rex, ad finem ditione, sororem donatis sibi illic propter nuptias bonis orbari. Ad quæ mala avertenda, nomine Regis Ducem oravit Pontus, ut pro cognatione in Saxonicos illos Duces propinquâ, dispicere benignè velit, quâ ratione inter ipsos commodissimè stabiliri iterum possit pax & fida amicitia, per quam reddantur Magno ablata, reducaturque DEO ac hominibus grata fratrum concordia. Post brevem repetitionem eorum quæ Legatus attulerat, prolixamque pollicitationem officiorum, quibus Regiæ voluntati libens obsequi, & quæ grata ei futura arbitraretur, agere promptè vellet, curæque sibi cum primis fore promitteret, veterem inter Sveonum Reges Luneburgicosque Duces amicitiam factam tectam servari, respondit: Se cum dolore intelligere, simultatum quid esse hodierno Serenissimo Regi Sveciæ, cum patruï nepote Volferbyitano Luneburgico Duce Julio, patrimo suo observando, de hæreditate, quam Sophia, nata Princeps Poloniæ, hodiernarum Sveciæ Poloniæque Reginarum soror, olim patruelis sui Henrici junioris nuper sine prole decedens vidua, sororibus relictam, Julius, Henrici ex aliâ conjuge prognati filius, interceperat. Optare se, ut aliam Julius, ostensaque hæcenus in hoc negotio contrariam mentem induat. Facile enim adparere, cum jure suo cedere nolint Rex Sveciæ, & conjunx ejus Serenissima, futurum esse, si æqua & justa Julius porrò deneget, ut difficultates oriantur longè maximæ, sive jure, sive armis futura sit disceptatio, quarum utraqve longam malorum feriem post se facile possit trahere. Ad quæ avertenda, quantum, in se, pro debitâ Regi officiorum promptitudine, scripto se Julium moniturum; ut ad servandam transmittendamque ad posteros cum Rege prisæ cognationis plenam benevolentia necessitudinem, viâ amicabili reddere velit ea, quæ vel legum æquitas postulat, vel implorata Superiorum autoritas tandem sit præceptura. Si quâ in his exsequendis patruï nepos usurus sit morâ, rogaturum se, ut mediâ operâ suâ uti velit ad fovenda sanguinis amorisque dicta jura vetera, quibus velut arctissimis vinculis Reges Sveonum Ducesque Lunebergenses inde ab antiquissimis temporibus constricti, jucundâ animorum studiorumque consensione hæcenus vixerant. Quod si &

hoc facere respuat, nihilo se minus pro virili adhibiturum operam, ne quid fiat, quod dictæ totiens conjunctioni queat officere. Quod verò attinet discordiam Magni Franciscique fratrum, Ducum Saxonie, jam ante sibi quodantenus notum, cessisse Patrem Franciscum Magno filio administrationem Ducatus Lavenburgici, invitisque auri- bus accepisse, sic in ipsum exacerbatum animo fratrem Franciscum, ut hic illum, annis minor ætate majorem paternis avitisque ditionibus ejecerit. Diffiteri se non posse, quo tempore Hispaniarum Regi militaret in Belgio, de fraternis injuriis vehementer apud se conquestum fuisse Magnum, opemque suam implorasse adversus ipsum. Noluisset autem se quicquam admittere, adversus Decreta legesque Sacri Romani Imperii, quibus ipsi reverentiam deberent & obsequia. Cumque intelligeret, Magnum vires comparare, quibus fratrem in ordinem cogeret, hortatum diligenter, ut ab incepto desisteret, & jure potius quam armis cum fratre contenderet. Sed quoniam æqua ac salubria monenti morem gerere noluit, arma legibus præferens, habuit exitum rei consiliis consentaneum. Nunc non videre se aliam rationem juvandi Ducem Magnum, quam ut precibus agatur, apud Rudolphum novum Cæsarem, quò certis quibusdam Principibus Imperii detur negotium, ad concordiam reducendi fratres animis studiisque disjunctissimos, & perceptis partis utriusque rationibus, æquam Cæsar ferat sententiam. Et quamvis fratrum dissidentium utriusque pari cognatione junctus sit, ut si majore in unum, quam alterum studio propendeat, opera ejus probro carere nequeat, tamen in gratiam Serenissimi Regis, cui se tot nominibus obstrictum tenet, libenter Regiis literis intercessionibusque pro Magno ad Cæsarem, juncturum suas, ut datâ ei accessus recessusque potestate liberâ, à Majestate Imperatoris accipiat Commissarios, è quorum numero si unum se esse jusserit Cæsar, non defuturum se commodis Magni, quantum integrâ justitiâ illæsoque propinquitatis jure possit fieri. Quod si quam aliam Magni juvandi viam aut Rex sup- peditare, aut ipse excogitare possit, qua reduci posset inter patrem fratresque discordantes mutua benevolentia, avertique ex inimicitiiis & odiis plerumque nasci solitæ altercationes dimicationesque, eam se tum Serenissimi Regis, tum sui causâ ingressurum, tantò libenti- us, quanto seiat DEO esse gratius, abolitis inter inimicantes odiis,

amorem, benevolentiam & mutuorum officiorum studium fiduciam- Legatio ad
 que restitui. His sic absolutis, dictâ Duci salute, Legatus inde di- Cæsarem.
 scedens, die quarta decimâ novum annum auspicientis mensis Januarii An. 1577.
 Norimbergam pervenit. Interea Cæsar, quod altero ab urbe milli- d. 14. Januar.
 ari primum Legato innotuit, Ratisbonâ Pragam Bohemorum se con-
 tulerat : Itaque diebus sex suæ suorumque quieti datis, legens vestigia
 Cæsaris, die vigesimâ nonâ mensis ejusdem, cum universo comitatu d. 29. Januar.
 Pragam perlatus est. Libens more privati advenæ apud Pragenfes
 aliquantisper delituisset Legatus : sed fama naufragii adventusque
 ipsum præveniens, necessitatem imposuit, mox sine ullo dissimula-
 tionis schemate induendi personam quam jussu Regis sumpserat.
 Itaque mox ipsis Calendis Februariis, post salutationum, gratulatio- d. 1. Febr.
 numque in novo Rudolphi imperio verbis peracta solemnia, com-
 missa sibi negotia Cæsari in hunc sensum Legatus aperuit. Quoni-
 am ad gloriosæ memoriæ Maximilianum Cæsarem Rex Sveciæ Sere-
 nissimus se Regiæ aulæ Magistrum miserat, atque ipso in itinere con-
 stituto, & per naufragii molestiam in moras conjecto, Cæsar piè
 decesserat, non poterant Rex & Regia conjunx, nisi dolenter ferre
 mortem Augustissimi Principis, cui, pro arctioris necessitudinis fidu-
 ciâ, vitam longiorem sine verborum fuce libenter optaverant. Sed
 quia Reçtori summo universi hujus, terris evocatum cœlis adferere
 placuit, convenit ipsis non minus quam Augusto filio, æterni Numi-
 nis voluntati adquiescere. Suo autem mœneri convenire, ut quæ sui
 Regis mandata humanis erepto patri Maximiliano non poterat, in-
 solium ejusdem reposito filio Rudolpho, suggerat. Initio autem,
 quum non incerta fama Rex Sveonum cognoverit, vivo etiamnum
 patre, benigno provisu Numinis, consentientibus Electorum Principum
 suffragiis, in decessuri locum Cæsarem dudum designatum Rudol-
 phum filium, pietati amorique suo convenienter se facere Rex arbi-
 tratus est, si, Legato interprete, inter gratantium amicorum Prin-
 cipum voces, Augustali purpurâ ipsum amicientibus civibus, amoris
 plenissimis verbis, optet ei firmam valetudinem, fortunam secun-
 dam, imperium tranquillum, in Christiani orbis hostes victorias,
 & cætera, quæ in gloriam Sanctissimi Numinis, rei Christianæ emo-
 lumentum ac decus, nec non Imperaturi Principis gratam ad poste-
 ros memoriam, optari mos & fas fuerit, delatis simul officiis, quæ ab

ab amico in amicum, ab adfine in adfinem præstari jure poterint. Ad quam rem non tam verbis quam opere ipso ostendendam, Rex Sveonum, rogatus pridem literis Maximiliani Cæsaris, Carolum Brancatium, gente Neapolitanum, in Regni ejusdem parte eâ, quæ ad conjugem suam velut materna hæreditas pertineat, gaudere fecerit fructu expetiti beneficii: dans hoc amori in domum Cæsaream, ad quod tribuendum nullis tenebatur Brancatii meritis. Atque ut hodierno Cæsari non minus quam parenti ejus summam Rex defert gratificandi benivolentiam: ita eandem expectat à Cæsare. Quo nomine peramanter rogat, benignam sibi opem ferat, suaque commendatione juvet, apud sanguine adfinitateque conjunctissimum. Hispaniæ Regem, quem cupit mandare pro Regi Neapolitano, ut tradere sine morâ velit Regi Sveciæ, quæ conjugis ejus mater BONA, Regina Poloniæ, Johannis Galeacii Mediolanensium Ducis filia decedens illic in redivisibus & bonis soli reliquerat, quorum potior pars, velut Foggienſe vestigal, Italis dictum Dogana sive Dovana di Foggia, conjugi suæ debeatur, non pro se tantum, sed pro defuncto etiam fratre Sigismundo Augusto Rege Poloniæ, qui dotem ei è Poloniæ Regno debitam, sibi, adversus promissorum codicillis firmatam fidem, per omnem vitam detinuerat, & ingentem insuper pecuniæ vim à marito Sveonum Rege ipsi creditam, nunquam solverat. Pari modo rogat Serenissimus Rex, quoniam Julius Brunsvicensium Dux, nullo ad se jure pertinentia bona Regiæ conjugis detinet, quæ, soror ejus Sophia, Henrici Brunsvicensis quondam Ducis uxor, sine prole decedens, superstitionibus sororibus pleno jure hæredibus proximis reliquerat, detentioni obtendens, modò debita mortuæ, modò sumptus funebres excedentes relictorum modulum, modò nullas conjugi Regiæ faventes Testamenti tabulas, quorum priora duo adversantur vero, postremum autem communi omnium populorum mori, quo soror sine prole, parentum neutro superſtite, defunctæ sororis bona adit, Testamento etiam non condito. Quæ singula quamvis satis monstrata sint per Legatos Regios, nihil tamen responsi aliud extundi ab obfirmato animo Principis potuit, quam non posse ipsum adſentiri desiderio Regis, qui defunctæ legitimus hæres neutiqum sit. Petere itaque summoperè Regem, ut quâ pollet autoritate Majestas Cæsaris, moneat Julium per literas, imò seriò jubeat, æqui le-

gumque præceptis sine ullâ tergiversatione pareat. Adhæc, quoniam urbes quædam Germanicæ, ab eadem Sveticæ Reginæ sorore eximiam pecuniarum vim, cum pacto census annui, acceperant, ut ostendent pactorum conventorum tabulæ, quarum fide digna apographa Legatus exhibiturus est, si qui exigant, pari studio rogat. Rex inclutus, ut Cæsaris ad Magdeburgenses, Lipsienses, nonnullasque urbes alias literis, jubeantur cum censu debito, creditorum summam, pro ratâ tamen Regiæ conjugis, Sveoniæ Regi restituere. Insuper latere neququam potest Cæsarem, ante annos jam prope quinque, cessisse Franciscum Seniore Duce inferioris seu Lavenburgicæ Saxonie, ditionem omnem suam natu primo filio Magno, adfini Regis Sveoniæ, præsentibus nobilium plurimis, Legato quoque Regis Sveciæ, atque ex voluntate patris, adfensuque fratrum, recepisse in se Duce Magnum debita universa domus Lavenburgicæ, eaque ex dote conjugis perfolvisse postmodum, dotisque residuo res ditionis auxillis plurimum, præstitisseque fratribus, ad quæ ex pactorum teneretur formulâ, certissimum est. His tamen insuper habitis, fratrum natu minor Franciscus, dictus junior, per vim annis majorem ditione suâ excluderat. Quam cum viâ eadem Magnus recuperare annis est, conatum rei justæ indignanter tulere Cæsar ac Imperium. Factum quidem est amicâ intercessione Sveonum Regis, nonnullorumque Imperii Principum, ut à Cæsare nuper mortuo permissum sit Magno, præfinitumque tempus, quo veniens in Germaniam causam suam ageret. Veritus autem factionis sibi contrariæ insidias, & ne quid sibi contra securi itus reditusque datam fidem accideret, ad præfinitam diem non comparuit. Gratissimum verò esset Regi Sveciæ, si sublatis inter fratres odiis, Cæsar prioris indignationis immemor, clementer annuat, denuò dari Magno securi accessus recessusque literas, ut re per datos à Cæsare, aut utrinque lectos arbitros, amicè compositâ, ditione iterum suâ fruatur pacificè. Eo quippe modo, & Regia soror bonis sibi ob nuptias permissis uti fruique ex æquo poterit, & concordia fratrum, feralibus fere odiis interruptâ, iterum restitui, extirpatis nocendi studiis. Porro, ignotus Cæsari esse nequit diu jam miserrimus Status Livoniæ, Germanici Imperii provinciæ hæctenus per secula aliquot non ignobilis. Nec dici obiter poterit, quanto non rerum tantum, sed etiam civium suorum

suorum sanguinis impendio in hunc diem Regibus Regnoque Sveonum constiterit Revaliæ vicinorumque locorum, multis provinciæ Ordinum non precibus tantum sed & lacrymis efflagitata defensio, & quidem eo tempore, eoque rerum statu, quo nulla aliunde spes opis habendæ adparuit. Et nisi Svecia Revaliensibus venisset auxilio, dudum nobile illud Christianorum in illis partibus propugnaculum succubisset Barbaræ Russorum tyrannidi, vidissemusque hodie per mare omne Balticum volitantia prædonum Rusficorum vela, non mercimonia tantum turbatura, sed excidium quoque sensim alatura mare hoc accolentibus. Et nuper, cum persuasum esset multis, Dano Moschorum amico patrocinate causæ Livonum, & vires firmante per Vichiam, futura omnia tutiora à feris Moschorum incurfibus, patuit, non alio tempore sæviisse in victos immanius. Edito quippe in Pernovientes aliquo clementiæ simulamine, non tam eo consultum voluerunt deditorum saluti, quam similiter dedendorum augere numerum, qui allecti semel in castes, deinceps victuri sub iugo Barbarico. Quod persuasissimum fuit illis, qui oblatâ remanendi licentiâ, migrare maluerunt aliò, quam infidissimorum promissis fidere. Fecitque ea res, ut multò quam prius enixius, Livonorum multi, in Sveonum fidem & clientelam concederent: Quam constanter rebus suis utilem experti illi sunt, etiam temporibus difficilimis, cum nulla aliunde salutis spes oppressis adfulgeret. Et dudum potuisset Rex Sveciæ, traditâ Moscho Revaliâ locisque munitis aliis, non tantum à se avertisse hostis hujus impetum, sed civibus etiam conciliâsse pacis conditiones non adspernabiles. Sed suæ suorumque, nec non vicinorum Principum ac Populorum pacem malens in futurum plus stabilem, quam in præsens infidiosam, noluit usquam nidum in Livoniâ figi his vulturibus, ingluviem expleturis cujusvis adpropinquantis cadavere. Et mala hæc pestis unum locum inficiens, in vicina omnia mittet contagium. Nec aliter, quam cancer, membrum unum correptum depascet post alterum. Videri itaque consultum, ut si quod jus sibi superesse in periclitantem provinciam Cæsar velit & Imperium, maturè ponatur obex crescenti in dies Moschi potentiæ; quæ si firmiter coaluerit, jam frustra dejicies quæ tuâ culpâ ingranduerat. Stupor est, non mox veri casu tot illic misère tragiceque pereuntium quotannis millium.

Et nisi unica Sveonum follers pro Livonis decertasset constantia, dum rabies Moschica, more diluvii, Livoniæ inundasset omnia. Dolere Regem Sveonum, Germanicorum Principum neminem, ac nec proximorum quonquam accurrisse, manumve commodasse Sveco, publico libertatis Livoniæ Vindici: Quin horum non paucos agitasse consilia, quibus laudabili ipsos tuendi proposito, difficultates objicerentur omnium maximæ: Imò, pro tanto in Romano-Germanici Imperii veteres desertosque ab omnibus cives beneficio, multi nullam rependunt mercedem, nisi odii ac invidiæ, quasi servatis Sveciæque accensis Livonis, magni nimis futuri Sveones; ac non iisdem subversis imbecilliores evasuri Germani. Cum igitur ducat Rex Sveciæ ancipitis & periculosa plenum opus alex, soli sibi irrogare onus defendendæ Livoniæ, cujus defensæ fructus nullus ipsum mansurus sit alius, præter invidiam, præsertim hoc tempore, quo Moschus nimis invaluerat, & Revaliensium aliorumque in Livoniâ frequentissimæ adferuntur querimoniæ, sublato per Moschum commercandi agrosque colendi usu, certam imminere oppressis perniciem, nec superesse alium se suaque servandi modum, nisi aut vertendi soli, aut dedendi se immiti Domino, quorum uterque sit longè gravissimus: Idcirco necessarium visum Regi Sveonum, si qua Cæsari mansura sit dicendi juris potestas in Livonia, cum Principibus Ordinibusque Imperii maturè dispiciat, quo pacto commodissimè succurri queat periclitanti, & in novacula, quod dicitur, acie constitutæ provinciæ, sive missâ ad Moschum Legatione, quæ vim omnem fieri prohibeat, sive inuito adversus ipsum Principum proximorum fœdere, sive quocumque alio modo, quo Cæsar, pro summa prudentiâ, ipsam juvari posse autumat. Quod se adinet, sponte Rex Sveciæ pollicetur, se suis non defuturum partibus, sed daturum, gnaviter operam, ut constet omnibus, universoque Christiano orbi, non neglexisse se quicquam eorum, quæ ad decus & tutamen, non solius Livoniæ, sed sui Regni ac amicorum Principum pertineant. Quâ de re Cæsaris sibi communicari sententiam Rex expetit. Adhæc, ne utique latere potest Cæsarem, ex quo frequentari cœpit navigatio Narvica, insigniter auctas fuisse vires Moschi, ut qui allatis è longinquo rebus necessariis, multò quam ante fuerat instructior armis aliisque rebus ad oppugnandas Christianorum in viciniâ ditiones ac populos. Hinc necessitate coacti Reges Sveciæ, impetiti bello Moschico, inhibe-

re navigationem istam ocepere. Ac ne quis rei nescius, nec præmonitus, damno aliquo adficeretur, ob usurpatam navigationem vetitam, ad Oceani utriusque accolas, jam ante annos quinque, scriptis literis, ad Gallia quoque & Hispaniæ Reges missis Legatis, non sine maximo sumptu, egit, ut civibus suis dictâ totiens navigatione interdicerent: Quod si præmonentis spretâ autoritate contrâ tenderent, mala sua sibi, non his, in quorum damna navigatio cederet, imputarent. Horum aliqui æqua, aliqui periniqua responsa dederant. Et urbes nonnullæ maritimæ, contemptâ autoritate inhibentis, nitebantur in vetitum, adferentes hosti merces inconcessas permissasque promiscuè: quo factum, ut maritimi excubitores Regis manu vim injustam repulerint, male multatis interdicti contemptoribus. Potuisset Rex, bellicas naves armis virisque instructas magno sumptu in sui littoris mari tenens, majore cum emolumento suo aliis usibus adplicare, nisi obstitisset mercantium, suo lucro, cum Sveonum pernicie, deditorum iniquitas. Rogat itaque Rex, si bonis justè multatorum querelæ deferuntur ad Cæsarem, injuriarum Regem postulantium, velit pro suâ æquitate, ob dictas causas, criminis omnis expertem eum habere, & de restituendis navibus ac bonis pro talibus per literas aut nuncios minimè intercedere, cum ad liberandam aliquandò malis suis Livoniam, depellendaque à nativis civibus damna omnium maxima, Rex aliter per debitam civium servandorum sollicitudinem facere nec possit nec debeat. Quo ipso nihil novi facere aut fecisse censendus est, cum jure gentium id faciant omnes bello impliciti Principes ac populi: & fecisse non ita pridem constet ultimum Magistrum Ordinis Livonici, obtinentem hodie titulum Ducis Curlandiæ, qui infesta sibi Moschi arma sentiens, classe lustrabat omne littus Livoniæ, Narvamque deferentibus res hosti necessarias, naves interceptis cum mercibus: Quarum divendendarum emporium tum primùm constituerunt Narvam civitates nonnullæ Hanseaticæ, cum insigni præjudicio urbium Revaliæ, Rigæ ac Viburgi, ad quas ab antiquo illud jus solas spectârat. Cumque dictus Magister, contra editum suum id agentium Lubecensium aliarumque civitatum naves interceptas suo ac Ordinis addiceret peculio, atque eo nomine accusaretur pro Cæsareo tribunali Spirensis Cameræ, non tantum per judices non jussus est ablata restituere, sed accusantium advocati ab iniquo postulato, contra id, quod bellorum justitia & gentium consuetudo fieri posse

posse ac debere omni ævo docuit, prorsus desistere. Quam sententiam, (ut negotii indolem percepit Cæsar,) suo etiam adprobavit calculo. cum fecisse id doceretur Magister, ad melius servandos cives suos, cogendosque ad æquam pacem hostes: quorum loco habendi sunt, quotquot hosti opem ferunt advehendo necessaria. Sperare itaque Regem Sveciæ, quod factum Maximilianus pater pro æquissimo non ita dudum habuerit in Magistro Ordinis Livonici, pro iniqvo non reputaturus sit Rudolphus filius in Rege Sveciæ. Confiditque planè Rex, non conspellatum iri se de restituendis ablatiis, quum porro, non salubre tantum, sed summè etiam putet necessarium, ut Cæsar, cum Ordinibus Imperii universis, communi Decreto abrogandam prohibendamque ad tempus, non Sveciæ tantum, sed etiam Livoniæ causâ, navigationem Narvicam censeant. Et quoniam, ante annos prope tres, Lubecensium mercatorum quidam, posthabitâ autoritate inhibentis Regis, non alias tantum, sed bello etiam inservientes res, Moscho per Narvam adtulerunt, & in reditu, naves atque militem Regis navibus impositum tormentis explosis aliisque modis hostiliter impetierunt, ideò jure naves ipsi ademptas Rex detinet, certam fovens spem, propterea quod narrationem rei gestæ minimè sinceram, recensumque causarum minimè verarum fecerant, nec non supplice libello suo, & ad piè defunctum, & ad gloriosè jam regnantem Cæsarem, Regem Sveonum gravissimè læserant, minimè futurum, ut, pro aut lædentibus, aut lædentium ablatiis rebus, Cæsar velit ullo modo intercedere. Sed potius exitiabilem Regni Sveonici civibus navigationem Narvicam Lubecensibus interdiceret, ab accusatione Regis iniquissimâ depellere, nec non ob injurias peratroces in eundem legibus plectendos dedere. Præter ea, innotuerat Regi, delatas à Rigensibus ad Cæsarem querelas, continentes in Regem quædam accusationum capita; ad quæ diluenda, innocentiamque Regis tuendam apud Cæsarem, dissimulari non convenit, etiam ipsos, quo tempore Revaliam Moschus obsessam tenuit, non unâ injuriâ Regem, nec simplice damno ejusdem cives læsisse, adferendo non tantum commeatum hostibus, sed varia etiam armorum genera, nitrati pulveris, aliarumque bello utilium rerum ingentem copiam: quin missis in mare, prædatorum myoparonibus, multos Sveonum cum rebus ipsorum abductos detinuisse. Rigensium æquiores nonnulli, videntes, ex talibus injuriarum scintillis, consuari posse atrox belli incendium, ad tollendos

mali fomites, placandumque commoti Regis animum, sponte ad ipsum accedentes, non verbis solum, sed scriptis etiam, fidem fecerunt Regi, ad sua digressos, compensatis æquo modo damnis & injuriis, reducturos cives intra æqui justique limites. Cumque ad hæc perficienda, virum sibi à secretis fidum Rex eò ablegasset, non tantum nihil promissorum obtinuit, sed Rigenses insuper, per literas ac nuncios, re ipsa inlatas Regi injurias, verbis supra modum augentes, & perverse gesta utrinque narrantes, eò recordationis piæ perpulerunt Cæsarem, ut literis Regem monuerit, & à damni injustè dati actione, & à compositionis transactionisque perurgendæ proposito desisteret. Quibus quum injurias injuriis cumulaverint, pro arcto sanguinis necessitudinisque nexu Cæsarem rogat Rex, ut per amorem justii, ex potestatis plenitudine, cogere Rigenses velit, & ad damna sarcienda, & ad officii delendam injuriarum Regi acerbam memoriam, quod horum æquiores se dudum facturos promiserant. Insuper, quoniam Stetinesi transactione, lis de jure insignium Regni Sveciæ, tribus scilicet coronis, ut destinatum erat ab initio, sopiri nequirit, & Rostochii inde comparentibus Legatis Sveonum, adversæ partis Legati non accessere, peramanter rogat Rex, providere benignè velit Cæsar, ne per horum cunctationem & absentiam, quicquam decedat juri Sveonum, adversus liquidissima vetustatis, & plurium, ante Sveonibus motam à Danis controversiam, seculorum monumenta, neve hinc pro se allegare Dani jure possint, quietam, nullisque Sveonum contradictionibus interturbatam præscriptionem longi & hominum memoriam excedentis temporis. Ad postremum, Cæsarem perhumaniter rogat Rex, in Ostfriscâ causâ, ut Comes Johannes Ordinesque Ostfriscæ, ad veterem regionis consuetudinem, hæreditarias quoque hujus & superioris ævi sanctiones, nec non connubialis pactionis solemnem formulam, confirmatam à proximis Cæsaribus, facta tecta quoque serventur Edzardo Comiti adfini Regio, sororique Regis, de quibus in his convenerant, eisque adquiescentes, nihil moliantur novi, vetante autoritate Cæsaris. Pari ratione Cæsari commendat Rex, alterius sororis, Badensis Marchionissæ causam, peramanter rogans, ne per fratrum aliorumve consanguineorum discordias, quid fiat Regiis his sororibus, adversus ea quæ ritè sancita sunt in solemniter perscriptis matrimoniorum tabulis. In his omnibus, si benignam Cæsaris operam experiri Regi contigerit, sua pollicetur

licetur in Cæsarem Augustamque domum, prout requirit sanguinis necessitudinisque arctissima conjunctio, reciproca officia ac studia. Ad d. 18. Febr. horum singula die XVIII. mensis Februarii, immutato nonnihil ordine propositorum per Legatum, post frequentes eâ de re compellationes, scripto in Exedra scribarum edito, sed Legato die IV. mensis Martii tandem in manus tradito, voluit Cæsar in hunc modum responderi. Amoris quidem plenissima salutationum, gratulationum votorumque solemnia, excepta sunt multâ pollicitatione mutui amoris ac benivolentiæ. Narraturque simul Legato, Cæsarem, altero post mortem paternam die per literas certiore reddidisse Regem Sveciæ, in paterni regiminis onus successisse se filium, significasseque, quam sibi gravis acciderit dolor paterni obitus, præmaturi quidem, si respicias filii civiumque diutius eo fruendi desideria; maturi verò, si Divinæ voluntatis arbitrium, & tanti Principis piè transactam cum civium bono vitam, beatumque ex perverfissimo seculo excessum, consideres. Has literas ad Regem in Sveciam dudum esse perlatas, Cæsar minimè dubitat. Impensè nihilominus sibi placere significationem amoris adfectusque benivoli, quam præsentis sibi absens Rex per Legatum fecerat. Atque ut plenam gerit fiduciam, futurum Regem sibi omni amore devinctissimum, ita vicissim Cæsar Regi, ad paterni exempli imitationem, prout adfectus benevolæque voluntatis pollicetur constantiam. Itaque quicquid bonitatis, intuitu paternæ commendationis, Rex Brancatio exhibuerat, id grato se conditurum repensurumque animo. Quod cætera capita Legationis attinet, præcipuè Sveonum Reginæ hæcenus non redditas hæreditatis partes in Regno Neapolitano & Ducatu Brunsvicensi, iis de rebus præcepisse Cæsarem commendatitias confici literas ad Regem Hispaniarum, Pro-Regem Neapolitanum & Julium Ducem Brunsvicensem, item de debitis mandatorias literas ad civitates Magdeburgensem & Lipsiensem, ut quantocyus conformiter se gerant æquitati ac justitiæ. Quod Livoniam concernit, ejusque tuendæ jus, quod apud nuper defunctum Cæsarem per literas sibi adsertum ivisse visus est Rex Sveciæ, atque hodiernum adserere velle videtur, fusè explicatis rei expetitæ causis Legati operâ, id totum, nec non quæ de eodem negotio decreta jam ante sunt in Transactione Stetinensi, quæque post acciderant, ex relatu eorum, qui sibi sunt à commentariis, plenè Cæsar cognoverat, nec minus lamentabilem miserationeque dignissimum sta-

tum rerum Livoniæ. Nec dememinisse poterit Cæsar geminarum literarum Regis ad Cæsarem patrem, anni superioris die III. Maji & XV. Augusti scriptarum de argumento eodem, quæ Cæsari filio, paulò ante discessum à nuperis Comitibus Ratisbonensibus, redditæ sunt, quas paulò maturius allatas libens vidisset Cæsar, ut mox, pro rerum in ipsis gravitate, subicere Ordinum Nunciorumque territorialium arbitrio potuerit. Sed quia iusto serius advenerant, & harum posteriores moræ etiam causas adtulerant, non allatæ, utique nisi finitis jam Comitibus, digressisque ad sua Ordinibus, incidente simul morte Cæsaris, ideò isthoc tempore, inque ipso capessendi Imperii initio, nihil ultra constituere potuit Cæsar, de re exigente maturam deliberationem omnium Imperii Ordinum, quam expendendam tradere Principum Electorum Collegio, quod die XXX. Octobris, paulò ante relictam à Cæsare Ratisbonam contigit, de quo etiam literas Cæsar ad Regem jam tum misit. Cumque his ipsis diebus de isthoc negotio diversa allata sint Electorum Principum Responsta, in eo mirè consentientia; Rem omnium Ordinum Imperii requirentem ad sensum, non posse aliter quam eorundem iudicio adprobationeque decerni. Atque quum in eisdem Comitibus decretus sit Deputatorum Imperii Conventus ad diem 1. Augusti instantis, Francofurti ad Moenum, convenit, ut inter res alias, de negotio Livoniæ agatur quam diligentissimè. Huic consilio Electorum annuens Cæsar, debitâ cum curâ illic rem deferret ad Deputatos Ordinum, & quod decretum fuerit, maturè Regi per literas significabit in Sveciam. Rogat verò amicè Cæsar, futurumque confidit, ut tantuli temporis moram non indignanter ferat Rex, quod & ante per literas petierat à Rege die XXX. Octobris, ut prius indicatum est. Interea verò, dum de negotio tam gravi Ordines deliberant, non acturum sperat Cæsar Regem, in totâ causâ Livonicâ quicquam, quod adversum sit his, quæ in fœdere Stetinensi, & aliquoties post, Cæsari defuncto Rex promiserat. Istud autem sperat Cæsar tantò confidentius, quantum disertius Rex ipse innuit (quod ab Ordinibus Imperii universis dudum etiam adprobatum est) diu destinatâ ad Moschum legatione, juvari insigniter posse negotium Livoniæ, utpote in qua id agatur præcipuè, ut solidè demonstrato jure Cæsaris ac Imperii in hanc provinciam, commoneatur seriò, à vi insultuque hostili abstinere in posterum: Revaliam, Rigam, aliasque bello nondum subactas urbes, arces ac populos,

pulos, intactas inviolatasque linquere, & quotquot armis injustis subegerat, libertati pristinae, dominioque Caesaris ac Imperii, cui ab antiquo, velut non ignobilis lacinia adhæserat, restituere. Ad decretam hanc omnium Ordinum suffragio Legationem nihil deesse, præter confectos agendorum commentarios, denominationem eorum qui præfuturi sunt negotio, nec non sumptus ei conficiendo necessarios, in quibus quam ocyslimè comparandis tantò minus cunctabitur Cæsar, quantò festinationem majorem requirit afflictissimi populi, non precibus tantum, sed lacrymis & prope convitiis efflagitata suppeticarum latio. Quod de Narvicâ negotiatione inhibendâ Legatus adtulit, tum universim omnibus, tum singulatim Lubecensibus, etiam sufficientem eâ de re Cæsar notitiam consecutus, deprehendit, duo illa maria, Balticum & Germanicum Oceanum, omneque in eisdem navigandi commercandique jus, tanquam Regale S. R. Imperii, omni tempore, omni que ex parte omnibus patuisse liberum. Nuper verò, ad testandam benivoli amoris significationem in hodiernum Sveonum Regem, ejusque antecessorem proximum, aliquid remissum ex rigore ejusdem in Stetinensis fœderis formulâ, quâ, in gratiam Sveonum, populorumque Baltico mari affidentium, adque minuendas vires Moscho iisdem populis infestas, jus illud ad certi generis illic nominatas, vicinisque innoxias merces restrictum est: Cui Decreto, regnante Maximiliano patre, Ordines Imperii in præsentem usque diem adqueverant. Si qui flagrante bello Moschico, promiscui generis merces, confuso vicinis noxiarum innoxiarumque discrimine, hosti per dictum mare adulerant, atque eapropter, velut interdicti publici transgressores improbi, malè mulctati sunt, suarum non esse partium probè novit Cæsar, talibus impertiri patrocinium: quod in præsentem diem factum à piæ memoriæ parente, se, aut Ordinibus Imperii, recordari non poterit. Si verò, quod interdictum, in gratiam amicissimorum Sveciæ Regum, benignè promulgârat Cæsar, de rebus hosti armando utilibus Narvam non deferendis, extensum eat Rex ad merces non prohibitas, adeoque Narvicam navigationem sublatam omni prorsus modo velit, quasi S. R. Imperii civibus, atque mercimonio deditis urbibus eâ uti fas non sit: non succensurum Cæsari Regem, spes est, quod favere adferentive tali proposito nequeat, multò minus conniventibus oculis adspicere, imperio suo subditos, ob Navigationem Narvicam, per obsidentes mare isthoc

Mini-

Ministros Regios capi ac detineri, ac, quod sæpius antehac factum est, hostiliter invadi, navibus mercibusque spoliari, & capta pro prædâ inter capientes dividi, in certam civium perniciem ac damnum irreparabile. Si talibus, ad æquam restitutionem ablatorum patrocinetur Cæsar, nihil facit præter officium, quo tenetur tueri vitam & fortunas civium, nec non *Regale* illud prius dictum *ius*, liberi quaque versus per Balten Oceanumque transitus, mercimoniorum exercendorum gratiâ. Sperat itaque Cæsar, Regem Sveciæ, pro amore socio vicinoque Principi debito, adquieturum his, in quæ Stetini, eâ de re, partium Commissarii, amicè convenerant, nec prohibitorum in posterum, ne S. R. Imperii cives, (pro aliis intercedendi partes sibi Cæsar non sumit) ad quærendum victum, augendasque res suas, merces domesticas Narvam vehere, peregrinasque inde petere valeant, atque dum ista faciunt, per suos mare infestum habentes, intercipere, detinere, maleque habere, non tantum in posterum cesset, sed seriò insuper laboret, ut hæcenus intercepti, detenti, maleque habiti, ad æquæ normam, satis accipiant. Et quoniam pro Lubecensibus, in proximis Comitibus Ratisbonensibus, factæ sunt Electorum, Principum, Ordinumque Imperii intercessionem perquam diligentes; hinc inter cœlites jam Cæsar Maximilianus, causam habuit, ad Regem Sveciæ mittendi, non tantum Lubecensium oppositam Regiæ narrationem rerum suarum in hac controversiâ, sed eidem quoque adjungendi literas suas, scriptas die X. mensis Septembris proximè elapsi, quæ, ob mox inscutam mortem Cæsaris, in Sveciam non pervenere, remissæ ad aulam Imperialem: id eò ejusdem scripti literarumque Legato jam traduntur apographa, & simul eâ de re sententia Ordinum Imperii, repetitâ insuper petitione hodierni Cæsaris, ut cum curâ attentioneque debitâ expendere, non preces tantum, sed rationes precum ac sententiæ Ordinum velit Sere-nissimus Rex Sveciæ, & ademptas Lubecensibus octodecim naves cum mercibus ac omni instrumento nautico reddere, & de cætero Stetiniensi transactioni convenienter sese in vicinõs Lubecenses gerere. Quod litem cum Rigenensibus adinet, de eâ ad Regem Sveciæ scripserat jam ante Maximilianus Cæsar mense Aprili proximo ante obitum, & Rudolphus præsens senescente Octobri anni jam præteriti, quarum literarum apographa Legato in manus dabuntur. Cumque persuasum sit Cæsari, scripta utriusque hujus urbis lites cum Sveciâ attingentia, dudum

dum perlata ad Regem, confidit, locum daturum intercessioni suæ, Ordinumque, ob causas in iis expositas gravissimas. Itaque iis contentus, nihil addit; haud dubitans, quin Legatus, inter cætera narrationis capita, ad suum Regem, etiam ista duarum civitatum nomine postulata æquissima Cæsaris, narrationis contextui sit inserturus. Quod porro concernit petitionem Regis, de adstruendo ipsi jure insignium trium coronarum; prælegi explicarique sibi ad plenum passus est Cæsar, quæ in totiens dictâ Stetinensi pactione, eâ de re inter Sveciæ Daniæque Reges, arbitrorum atque partis utriusque Legatorum operâ decreta sunt. Ad quæ exsequenda, Maximilianus pater, non semel Legatos suos Rostochium destinaverat. Sed dum in eo est, ut cognoscat, quam diem comparendi Cæsareis suisque Legatis Reges utrinque præscripserant, facta terris evocatum Divum inferunt confessui: atque literæ Regis Sveciæ, datæ III. die Maji, die tandem XVIII. Octobris hodierno Cæsari redduntur Ratisbonæ, nunciantes, operâ partis utriusque Deputatorum, litem de jure trium coronarum dilatam ad sensum Regum in annos decem, ita ut in decursum istius temporis, conventu nullo, ejus litis dirimendæ causa, opus jam sit. Itaque non videt Cæsar, quid per se porro fieri in hoc negotio possit, sine partis utriusque ad sensu novo. Quod si quid novi, post sic dilatam rem, inter ambos Reges subortum sit, ad quod amicè & viâ juris componendum, operam suam illi putent utilem, paratus est Cæsar hodiernus, non minus quam gloriosæ memoriæ pater, ipsis sic decenter requirentibus, ex officio amicitiae, vicinitatis ac necessitudinis, promptam eam Regibus Serenissimis exhibere. Tandem, ut attingantur Lavenburgici Ducis Magni, & Ostfrisiaci Comitis Edzardi cum fratribus controversiæ, pro quibus inter duos illos Regis ad fines ritè finiendis, Rex Cæsaris interpellat gratiâ permixtam justitiam, dissimulare nequit Cæsar, dudum ad eas aut juridicè aut amicè terminandas, *Austregas*, ut vocant, constituisse, hoc est, Delectos Arbitros. Scilicet inter fratres Lavenburgicos, Electorem Saxonem, Julium Ducem Brunsvicensem, & Adolphum Holfatum: Inter fratres verò Ostfrisios, Electorem Coloniensem, & Julium iterum Brunsvicensem. Deinceps ad commissionem hanc melius obeundam, ante annum jam, & plus, Magno Lavenburgico Duci salvi conductus literæ à Cæsare concessæ sunt. Caruit autem hucusque res utrobique successu, eâ solâ de causa, quod neque Duces, neque Comites jam dicti, Commissioni huic locum

dederint, aut coram Commissariis adhuc comparuerint, quâ de re ad-
 verfarum partium aliqui, præcipuè Johannes Comes Ostfrisiæ graviter
 conquestus est, & de novâ Commissione constituendâ supplicem libel-
 lum miserat. Cui petitioni Cæsar annuens, denuo commissarios con-
 stituerat, simulque Edzardum monuerat, ut Commissioni editæ pareret
 quantocyus. Pari modo, in gratiam intercedentis Regis, securi itus
 reditusque literas impertiri vult Cæsar Magno Lavenburgico, & quas
 Cæsar pater dederat, ratas habere, non minus quam Commissionem,
 ipsam ac Commissarios. Minimè verò dubitat Cæsar, operam datu-
 rum Regem, literis nunciisque hortetur adfines, ut morem gerant or-
 dinationi huic Cæsar, obsequendoque vitent materiam præbere ma-
 joribus difficultatibus. His à Regio Legato allatis in hunc modum,
 responderi jusserat Cæsar, summâ de cætero Legatum complectens
 gratiâ. Datum Pragæ, Cæsarei que sigilli munimine firmatum die
 XVIII. mensis Februarii anno supra millesimum septimo & septuage-
 simo. Hæc scriptis utrinque acta sunt in Cancellarii adjunctorumque
 ei Secretariorum collegio: Verbis autem quæ nunc addam, desumpta
 ex Legati ad Regem epistolâ, cui suam manum adposuerat, sui que an-
 nuli gemmam impresserat. Ad promovendam causam Regis Regiæ-
 que conjugis Neapolitanam, non tantum Cæsar Rudolphus, sed mater
 quoque ejus Maria, Maximiliani vidua, Caroli Quinti filia, lingvâ Hi-
 spanicâ commendatitias ad Regem Hispaniæ & Pro-Regem Neapolita-
 num literas dedere, quarum apographa se Regi suo in Sveciam misisse
 ait, sed quæ nusquam videre licuit. In causâ Regis Brunsvicensi, lite-
 ras etiam Cæsaris obtinuisse se ait ad Ducem Julium, civitates etiam
 Magdeburgensem, Lipsiensem & Luneburgensem: petenti que ejus-
 dem generis ad Ordines civitatesque Marchionatus Brandenburgensis,
 responsum tulisse ex nutu Cæsaris: Aliter comparatum esse cum Bran-
 deburgicâ ditionis urbibus, ut quæ à suo Marchione multò reguntur
 addictius, minusque habent libertatis quam dictæ superius. Pertendenti
 autem Legato in petitione eadem, responsum, in gratiam Regis scri-
 pturum Cæsarem ad Electorem ipsum, ut cives ad ea Regi præstanda
 adigat, quæ juri sint consentanea. Quod si præter spem, vi mandati
 Cæsarei Rex jus suum consequi nequeat, denuo que queratur, daturum
 se Commissarios, qui litem ex jure definiant. Porro responsum sibi
 ait, quod quamvis urbes Lipsia & Luneburgum suos agnoscant Domi-

nos, digniores tamen esse illas liberioresque longè quàm quæ sub Brandeburgici Electoris dominio. Maluisse insuper se ait mandata Cæsaris ad Ordines Marchionatus, quàm Electorem Marchionem, sed quia obtinere nullâ ratione potuit, coactum his quæ impetrari poterant adqueiescere. Addit, videri sibi è re esse, ut mandata Cæsaris ad Electorem dictum, civitatesque ei subjectas, non per tabellarium publicum, aut minoris pretii nuncium tradantur: Sic enim exolefcet eorum auctoritas, ac vix responso, nedum effectu dignabuntur qui volent pecuniâ debitam dissimulare. Eum in finem Legatus in Pomeraniâ cum autographis Cæsaris redire fecit Bruferum Secretarium, illic expectaturum debita exigendi potestatem plenam à Rege, transmissis tantum in Sveciam Cæsareorum mandatorum apographis, minus extimescentibus periculum naufragii: minimè dubitans, eâ fide, quâ in aliis negotiis omnibus, hic usurum Bruferum, nisi Regi visum fuerit, alium majoris auctoritatis ei negotio præficere. Et hæc causa fuit, quod Legato adeunte obeunteque Italiam, Secretarius hic in Pomeraniâ, vicinisque ei locis, substitit, ejus in negotiis Regis expediendis fide ac industriâ luculenter passim laudatis non illibenter aliâs usurus in rebus Italicis. De causa Magni Saxonie Lavenburgicæ Ducis hæc refert. Impetrâsse se literas salvi conductus, quas Cæsar promiserat; cujus autographum Duci Magno tradendum Regi suo transmisit in Sveciam. Quod commissionem ipsam attinet, literas eâ de re, præfente etiamnum Legato expediterat Cæsar ad Electorem Saxonem, Julium Brunsvicensem & Adolphum Holfatum. Cum verò è Sveciâ digressus Legatus, ex ore Magni didicisset, gratius ei futurum, si admissio à Cæsare constituto Julio, in cæterorum duorum locum sufficerentur Episcopus Lubecensis & Ericus Dux Brunsvicensis, aut qui rerum hodie potitur in Ducatu Luneburgico. Sed perduci eò res nequirit, renuente Cæsare, se quid permissurum, quod prius à se designatis viris Principibus futurum sit ignominie. Cumque regereret Legatus, quidpiam simultatum, intercessisse inter Magnum, cujus nunc res agerentur, & Adolphum Holfatum, cujus intuitu hunc ille agrè admitteret rerum suarum arbitrum; responsum est à Cæsare: Etiam novisse se, Magnum repudiâsse Adolphum in negotio suo judicem, ob suspiciones quasdam alienioris in se animi; sed suspicionum adtulisse causas prorsus debiles & nullius hili, quas convenit esse graves & solidas, ut quis iudex ritè lectus, cede-

re debeat officio. Porrò in causa Saxonico-Lavenburgicâ narrat Legatus, dum Pragæ degeret, constitutum fuisse Cæsari, negotium id urgente Bremensè Archiepiscopo, ut abdicatum, filioque cognomini cessum Saxonix inferioris seu Lavenburgicæ Ducatum, si aliter fieri non posset, vi reciperet Franciscus Senior, & ditionis cives, destituto filio, patri se iterum submitterent, quod nusquam alibi legisse me memini. Atque hoc effecisse apud Cæsarem (cujus non minus quam Pontificis gratiâ floruit) filium Francisci hujus, Henricum Bremensem Archiepiscopum, cui ante tres annos Osnabruggenfis, hoc verò ipso anno etiam Paderbornensis Episcopatus administratio fuit addita. Huic Archiepiscopo fratri, non minus quam cæteris fratribus, parum amicus, ac nec Cæsari aulæ ejus Primoribus satis acceptus erat hoc tempore, Franciscus junior. Putatque Legatus, Magnum multò facilius cum patre Francisco, quam cum nominis ejusdem fratre reconciliatum iri. Archiepiscopum etiam fratrem, & apud Cæsarem, & apud patrem in melius ei versurum omnia, si & ipse per literas opem ejus impleret, & commendatione Regis adhuc utatur sedulò. Quin, si ipse quam primum ad aulam Cæsaris veniret, (cujus Ministros præcipuos, sub initium averfis à Magno, ob factum Parnoviensè, studiis, Legatus conciliaverat, mutaturum insigniter rerum suarum faciem. Paterni verò in ipsum antehac odii præcipuam causam censuit, promissum Magni, de liberandâ ære alieno sui juris ditione Saxonicâ, quod non impleverit. Sed omnis hæc sollicitudo Regis pro adfîne Magno tandem fuit irrita. Ipse quippe ingenii ferocis & inemendabilis, post alias aliasque offensas, tandem in Regis indignationem incidens, relictâ conjuge, adsumptaque pellice, Sveciâ ejectus, paternâ etiam ditione excidit, quâ plenè potitur frater Franciscus, die nonadecimâ mensis Martii, Anno M. D. LXXXI. patre mortuo. Molitus postea in fratrem res novas, ab eodem captus, Anno M. DC. III. Ratzeburgi moritur in carcere, usus fortunâ moribus consentaneâ, Anno M. D. XCI. conjuge in Sveciâ præmortuâ, annoque sequenti die undecimâ mensis Novembris Gustavo filio, qui copias lustrante Carolo Duce Sudermannix, incautè expulso sclopo genu crusque luxans in agro Holmiensî prope S. Claræ virginum cœnobium, nonum decimum ætatis annum agens, obiit. His subjungit Legatus, animadvertisse se, in dato sibi ad proposita responso, in duobus negotiis, navigationis nempe Narvicæ &

Rigenfis

Rigenſis contumaciâ , prorfus inſiſtere Cæſarem paternæ ſententiæ. Itaque ejus conveniens Cancellarium, adjunctosque ei Collegas, ſic diſſerit: Videri ſibi, Cæſarem inter Regalia ſui Imperii jura cenſere navigationem Narvicam, ideoque tueri velle etiam Lubecenſium Moſcho per Narvam neceſſaria adferentium in Svecos injuriam, urgereque reſtitutionem juſtè ipsis ablatarum navium: ad quæ exhorreſcet Regis animus, neutiquam agniturus, in ſuæ ditionis maribus, fluminibus, portibus aut terris, quicquam juris uſquam competere, aut unquam competiſſe cuicumque externo Principi aut Imperio, ac nec Cæſari. Regalia enim in Reges non precarios nec fiduciarios jura ſibi quenquam adferere, eſt Regem non Regem fingere. Adhæc, navigatio Narvica, nec vetus, nec ab antiquo libera fuerat, ut Lubecenſes paſſim verbis ſcriptisque invitâ veritate jaſtitant. Primum enim non niſi ante annos paucos cœpta eſt. Dein, peculiari Decreto Civitatum Hanſeaticarum non ita dudum prohibita fuit tanquam publicè damnosa ac noxia. Nec illa tantum, ſed Nyenſis quoque & negotiatio Novogardica, quod currentis ſæculi annorum XLmi & XLIXmi per ipſas edita inhibitoria Decreta comprobant. Quâ itaque fronte, quod ſibi jus nuper adferuere ipſi, negant Regi Sveonum Gothorumque in ſuæ ditionis, ſuique tantum juris mari Livonico, quod tot ſæculis ante auditum ortumve, nomen Lubecenſium aut Hanſæ, Regno Regibusque Sveonum pleno jure competiſſe ſuperius probatum eſt, dum Holmgardicorum ſeu Oſtrogardicorum è Svecis Regum, ante Germanorum in Letticas terras coloniam, catalogum dedimus? Cum itaque hac parte mare hoc, & olim fuerit, & nunc etiam ſit juris Sveo-Gothici, quis, deploratiſſimo hoc ſtatu Livoniæ, iniquam cenſebit, inhibitam aliquantisper ad hoſtium immaniſſimos navigationem Narvicam per mare ac littora Regum Sveciæ ac Gothiæ, quod omnes circumpoſitæ nationes, etiam Germaniæ, more Sveonum, vocant Eoum, hoc eſt *Dæſterſiön*/ſeu, dialecto Germanicâ, *Die Oſt. See* / quamvis non oriente ſed occumbente Sole, ipſorum præcingat littora, ſolâ adpellatione indigitantes, cujus in eo populi ab omni ævo conſpicuum celebratumque maximè fuerat dominium? Præterea, ſi dictorum modò annorum inhibitiſſima Hanſeatica adhuc perdurâſſet, & vetuſtiſſima Ruſſicarum mercium communia emporia, Revaliam, Viburgum & Rigam etiamnum, ut olim, frequentâſſent mercatores advenæ, non ea fuiſſet Moſcho in Livoniæ viſcera

penetrandi facilitas, quam, Livonicarum gentium permixtæ sanguine lacrymæ, deplorant hodie. Et quamvis in Stetinensi transactione mentio fiat navigationis Narvicæ prohibendæ, discrimen quoque statuatur vetitarum & non vetitarum mercium, tamen etiamnum hodie viventes, à parte Cæsaris tum conciliatores pacis Carlovitius & Minckevitius, haud diffiteri poterint, verbis & consensu omnium, durante bello Moschovitico, pro illicitâ habitam navigationem Narvicam, quod ne, ut cætera, infereretur constitutæ tum pacis capitibus, factum est quorundam lingvæ promissis credendi facilitate simplicitateque nimia, & quorundam insidiosâ credulis, ut omitteretur, urgendi pertinaciâ. Et quoniam ante annos jam sex, & quod excurrit, missis quaquaversum Legatis, ut fuscè suprà narratum, moniti ad utrumque mare positi omnes populi, ut navigationem hanc intermitterent, donec æqua cum Moscho pax fieret, solemniterque Legati, adversus Lubecenses, monitioni Regiæ adversantes, protestati sint, & ipsi, protestatione spretâ, protervè præfracteque in damnum Sveonum, navigatione veritâ usi, opem hosti tulerint, viresque auxerint, Sveonum quoque naves & classarios, in Svetici juris mari injustam hanc vim prohibituos, nullâ datâ justâ causâ, hostiliter impetierint, nulli, nisi sibi met ipsis, damna quæ passi, imputare poterint, ideoque perseveraturum in suâ sententiâ Regem, nec cogitaturum unquam de repensandis damnis malisque, *quæ sua sibi culpâ accersiverint*. Quod si etiam in causâ Livoniæ, quæ Cæsar antea ultimo Magistro Ordinis indulserat, denegaturus sit Regi Sveciæ, videri posset res mira, non tantum Sveonibus, sed humanitatis æquorumque jurium peritis ab omni parte populis aliis. Cui sententiæ sui Regis Legatus se institutum ait constanter, nec ad sensum præbiturum ullâ ratione his, quæ niti videantur in contrarium. Similia his adtulit adversus causam Rigensium. Effecit ea Legati constantia, ut nomine Cæsaris responderit Cancellarius. Non eam esse mentem Cæsari, ut sibi Romanove Imperio quid juris adsertum eat in Regnum Sveciæ, aut subjectas eidem terras, portus, flumina, lacus aut maria, sed tantum id ostendere velle, liberum esse debere mare, & cuivis patere ad transitum (sed addidit Legatus) innoxium. Nec dissimulare se posse, (quod tamen privatim Legato & ex peculiari fiduciâ dictum volet) Lubecam civitatem esse Imperatori ac Imperio subditam, cujus adfiduis literis ac supplicationibus non possit non aliquid tribuere, & prætensâ jura quædam tenus

da mtenus tueri. In potestate tamen Regis situm, quid impetratum aut non impetratum ipsis volet esse. Cæsarem non posse invitum Regem ad aliquid concedendum cogere: cum quo optet mutuum colere amicitiam, servareque pacem, ac vicinis conducibilem benivolentiam. Lubecenses presse inhærere verbis Transactionis Stetinensis, nec admittere limitationem, quæ formulæ pacis totidem syllabis inserta non sit, utcunqve de eâ partium Commissarii inter se convenerint. Ad eundem modum habere se rem Rigenfium, de quibus duobus negotiis Cancellarius ajebat supervacuam esse omnem ulteriorem disceptationem, & dandorum reddendorumque verborum sollicitudinem. Unde sibi **H**quere colligit Legatus, cogi Cæsarem, ut præcipuorum Imperii Ordinum Decretis suo modo obtemperet. Inter cæteros autem Cancellarii excursus, etiam huc devenit, ut diceret, quod in supplicantium prope infinitâ multitudine, nemo rejiciatur ab Aulæ Proceribus; itaque è re esse ipsorum, contra quos libelli adferuntur supplices, ut ad Aulam mittant viros rerum peritos, qui suorum Principum nomine, quæ vel verè ab adversariis adferuntur, suis responsionibus mollius explicent, vel falso narrantur, veris narrationibus argumentisque diluant; ut utriusque allatis dissidentium rationibus, Cæsar Aulæque Primores dispicere possint, pro cujus sententiâ æquum verumque militent. Consultum itaque esse, ut Rex Sveciæ, si non quovis anno sæpius, saltem quotannis semel virum ad hanc aulam mittat idoneum, qui res procurret sui Principis. Quales secutorum temporum consuetudo induxit Ministros, quos, quod residere soleant in Aulis Principum ad quos mittuntur, & suorum illic Dominorum res agere longiori tempore, Residentium Agentiumque designari nominibus usus obtinuit, nonnunquam etiam Ordinariorum Legatorum adpellatione, ad discrimen eorum, qui ad breve tempus, certorum negotiorum causa mittuntur solemniore modo, quibus semel expeditis, ad sua suosque revertuntur Principes. Svasit itaque Cancellarius, ut ad Calendas Augusti proximas, Francofurti Conventuris Deputatis Ordinum, talium quempiam Rex eò mitteret. Quoniam iterum incidit mentio litis, quam Regibus Sveonum moverunt Lubecenses, & postquam superiora absolvi, videre contigit scriptum Lubecensium, ab ipsis publicatum seculi superioris anno sexagesimo sexto, necessarium visum, ad ejus præcipua hic obiter respondere, minimè ferendum reputans, toties illic objici Regibus gloriosissimis

riosissimis adeoque patriæ universæ, iniquitatem atque ingratitude, ab hominibus, quos iudices neutris obnoxii, neutiquam absolverint à reatu eorundem criminum in Reges civesque meæ patriæ. Ad res ipsas reponam necessaria, sine ullâ verborum acrimoniâ. Hæc autem scripti ipsorum summa est. Initio fatentur, per longiora retrò, quam cogitari possit, tempora, cum Sveonibus coluisse se amicitiam, cumulatam innumeris eorundem beneficiis, allatu rerum necessariarum in Sveciam, receptuque superfluarum ex ipsa. Nuper verò, sub ipsum Gustaviani regiminis initium, non tantum servasse ei cum vitâ libertatem, (utriusque insidiantibus Danis) sed ad repellendam Christierni Secundi tyrannidem, classem adduxisse bellicarum navium quindecim, milite, armis, comœtuque instructissimam, quâ expulsæ hostis copię, firmatusque Gustavus in folio, non sine immenso sumptu summoque rerum suarum discrimine. Quippe, opem tulisse novo nec dum factò Regi, adversus trium Regnorum potentissimum Dominum, Caroli Quinti Cæsaris adfinem, subnixum favore Austriacorum Ibericorumque Principum, quid erat aliud, quam dubiis rebus novi Principis, postposuisse gratiam Regis suis Majorumque opibus incluti? Et novè quidem beneficii magnitudinem dignis per Regnum suum privilegiis primùm remuneravit Gustavus, sed postmodum auctus firmatusque viribus, inveterati cepit oblivium, non iis tantum Lubecenses privans, sed multis magnisque insuper vectigalium irrogationibus sic onerans, ut memoriam ejus omnem ex animo deletam voluisse visus sit. Scilicet, seculi currentis anno XXXIII. postquam res & bonâ Svecorum Lubecæ reperta arresto cives detinere, ob prætensâ nec soluta quædam debita, jure repræsaliarum sic in eos usus est Gustavus, ut, abrogatis protinus privilegiis, res ipsorum omnes per universam Sveciam suo Regni que peculio adscripserit. Eas ademptaque privilegia repetitum sæpius missi Oratores, re infectâ semper reversi sunt. Latæ utcunqve injuriæ in annum seculi sextum & quadragesimum, quo, amicitia codicillis utrinque datis in hæc leges firmata est. Pax solida, sine fraude doloque, in annos decem esto. Iis elapsis, si vetera privilegia interea recuperari nequeunt, nihilo eadem minus servator. Quæ pars eam ruptam volet, ante quam hostile quid molitur, anno integro partì adversæ dicto: nec eo tamen minus, post renunciatam solemniter amicitiam, annus integer, sine novis injuriis ac offensionibus exigitur. His promissis

Lubecenses inculpate, non per annos tantum decem, sed in mortem, quoque Gustavi Regis steterant. Eo fati functo, spem cepit civitas, recipiendi per novum Regem vetera sibi erepta privilegia, tanto majorem, quanto humanioribus literis invitabatur ad coronationis ejus solemniam. Quibus peractis in Legatorum urbis presentia, per eodem urgere ea cepit restitutionem veterum immunitatum in Sveciam. Domum vero reversis Legatis, sub initium veris, anno M. D. LXII. per Secretarium suum Christophorum Schiverum exemplar privilegiorum, quolibet eos uti frui in posterum voluit Rex Ericus, Lubecæ fecit tradi. Hujus hæc erant capita. Ut Lubecenses Holmiæ, Calmaria, Sudercopiæ & Aboæ in Sveciâ: ita Sveci Lubecæ, Sociisque Hansæ civitatibus, ab omni tributi, portorii ac vectigalium exactione immunes sunt. Russicorum commerciorum Revalia & Viburgum Lubecensibus emporia sunt. A Narvicis Moschi negotiationibus prorsus abstinento. Quæ privilegiorum formula cum eis minus arrideret, ad proximam Dominicam Trinitatis conventum indixerunt civitatum Societatis Hanseaticæ. Illic, collatis in unum consiliis, decernunt, repudiandam hanc Sociorum Hansæ formulam privilegiorum in Sveciâ. Causas decreti attulerunt. Quod nova hæc plurimum derogaret magno redemptæ veteri, ut quæ Sveciæ damnosa privilegia nulla posthac concessa velit Lubecensibus. Quod Rex indulta velit eadem ex merâ peculiarique sua gratiâ, seclusâ omni mentione meritorum veterum, habeatque pro gratuitis, quæ ipsi ob prisca & recentia merita, vim habere putent contractus non revocandi pro lubitu. Quod privilegiorum participes esse nolit Rex nisi amicitiam foedereque sibi sociatarum urbium cives; Lubecenses vero fas sibi ac jus esse putent, in consortium vocandi socios quoslibet. Quod quondam litium ortarum inter privatos cives utriusque partis arbitria, essent penes Austregas, seu delectos ab utrisque iudices, & fervente litium strepitu, pax nihilominus inter Regnum civitatemque servaretur integra; Nunc civium suorum cum Lubecensibus controversias Rex velit ex æquo bonoque sibi dirimendas sumere, adeoque non privatas tantum privatorum inter ipsos injurias, ut hæctenus, sed publicas quoque inter Regem & Lubecensium Rempublicam natas dissensiones componi in Sveciâ, quo pacto, jura civitatum Germaniæ, subducta autoritati judicum Ordinariorum in Germania, subjici quodam modo videntur jurisdictioni

Regum in Sveciâ. Quod in vicem privilegiorum, quæ nunc Rex indulget, reposcit novas quasdam obligationes onerum officiorumque, quorum in antiquis privilegiis nulla usquam fit mentio, qualia etiam aliorum Regnorum summi Principes, nunquam in suis pro Lubecensibus privilegiis efflagitaverant. Quod poscat Rex Sveciæ eadem sui Regni civibus privilegia Lubecæ, & apud ei socias civitates Hansæ, quæ ipse eisdem indulserat: cum tamen constet, Lubecenses sua meruisse magnis in Sveciam beneficiis, quæ Svecia in Lubecam nulla præstiterat; atque idcirco, ut postulatum id, ob meritorum disparitatem, manifestè iniqum, ita quibusdam civitatibus Hansæ, solitis in posterum subtractis emolumentis ac commodis, omnino tandem futurum exitio. Quod temporibus belli, Svecia Lubecæ, sociarumque ei urbium cives, adferre sibi velit necessaria, quod, sic ferentibus nonnunquam urbium rebus, aut non posset, ob difficultatem temporum, aut non deberet, ob indolem bellorum, ab ipsis fieri. Quod, cum sic exigeret usus Sveciæ, integrum ei foret, Lubecæ, atque in sociis ipsi urbibus, militem conducere, adversus quemvis sine exceptione hostem, quod cum fieri aliquandò posset adversus S. R. Imperium, Imperiive unum pluresve Ordines, apparet esse perabsurdum. Quod Sveciæ Lubeca commodaret pecuniam, quantum & quotiens exigeret rei necessitas. Quod Lubecæ, inque cæteris amicis ei urbibus, quas Lubeca admittura sit in dictorum privilegiorum consortium, permitti debeat Regi, peculiarem habere domum institoriam, perinde ac permissum hactenus fuerat Lubecensibus in Sveciâ, & quorundam aliorum Regnorum emporiis. Quod commercandi cum Russis studia, non nisi Revaliæ & Viburgi frequentarentur in posterum; quod libertati hactenus usurpata Germanici juris urbium summè non tantum adversaretur, sed cederet quoque in certam attenuationem virium ac opum, quæ libero commerciorum usu mirè hactenus creverant, extremamque deinde perniciem. Regiam inhibitionem navigationis Narvicæ impugnant his artibus. Quod repugnet Lubecensium juri commercandi cum Russis, ita antiqvo, ut omnem excedat hominum memoriam, quodque toti Europæ ita notum sit, ut ne Svecos ausuros id negare existimet; & si negent, revincant duæ adhuc supersites (quales Bergis apud Norvegos, Brugis & Antverpiæ apud Belgas, Londini apud Anglos) Lubecensium sociarumque Hansæ civitatum mercatoriæ rationum domus, quarum

una Germanicæ altera Gothicæ nomine per multa secula inclaruerat, non circa fines, sed penitiùs & in ipsis Dominiù istius visceribus, Novogardiæ scilicet, quas suâ lingvâ *der Teutschen und der Gotten Hoff* vocare sint soliti, quæ licet ante annos non paucos, hujus tamen ævi, majori ex parte interciderint, vigent tamen etiamnum circa Imperiù istius limites antiqua cum incolis commercia. Ita autem vigent (quæ altera pro Lubecensium jure militat ratio) ut rata esse voluerint adfensu codicillisque palam datis Christiani aliquot in viciniâ Principes, quales Magistri universusque Ordo Militum seu Equitum Teutonicæ Domus in Livoniâ, nec non Reges aliquot Proceresque plurimi Regni Sveo-Gothici, illi quidem Anno Salutis M. CC. XCIX, hi M. CCC. XII. & M. CCC. XLIV. quæ tanto tempore sine cujusquam renisu usurpata, nunc tandem per vim inhiberi nequeant sine summâ injustitiâ. Per spectro hoc jure Lubecensium, cum nuper Teutonici Ordinis Magister in Livoniâ, atque urbs Revaliensis, cives Lubecenses per mare cum Russis colentes mercimonia, ausu infando multarent navibus, sexagesimo seculi hujus anno Cæsar edito adversus ipsos edicto, restitutis ablatis vim ultra fieri vetuit, interminatu pœnæ gravissimæ. Sic defensâ sententiâ propriâ, Svecos contrâ nitentes suis depellere conantur præfidiis. Primum quidem, cum dicunt, commercia Russica Christianis in proximo Regibus ac Populis valdè noxia, utpote reddentia Russos copiâ rerum allatarum valentiores ac ferociores in inferendis, nec non pertinaciores in continuandis perpetuò injuriis, sic ut nullâ frangi queant penuriâ, ad istahæc regerunt. Malè sibi constare isthæc effata Sveonum. Si ita, ut ferunt, noxia, cur in locis sibi subditis, Viburgi Revaliæque, fieri non tantum permittunt, sed & jubent, non modò à suis, sed etiam mercatoribus advenis? Dein, si talia, cur non sublata malunt, quam ex alieno in suum translata territorium? Adhæc, aut nuper talia esse cœperant, aut elapsis etiam seculis. Si hoc, cur, cœcis mutisque similes, non ante adverterant, conquesti amoliti que perniciem? Si illud, quò quæ de causa talia esse cœperint nuper magis quam olim, doceant. Et, si olim, ipsis vigentibus, Sveci superesse poterant, cur hodie quam pridem fieri id potest minus? Cumque evidens ac idonea nulla ratio dari queat negotiù hujus aliter nunc se habentis quam olim, planum est, prætexi rei inhibendæ vanum Sveciæ subvertendæ periculum, sub cujus inani specie, stabilito sibi

mercium Rufficarum monopolio, Svecia sola inde pinguefcens, reliquis in circuitu Populis maciem velit inducere. Hoc patefacto proposito Sueonum, aliorumqve ante ipsos ea inhibere volentium, quæ aliquando Cæfar vetuit, libera quibusvis esse iuffit cum Ruffis commercia. Contendentibus iterum Svecis, esse ea commercia iniqua, iuffo bonoque contraria: regerunt Lubecenfes. Nullo poffe jure cenferi talia, quum inde ab humanam memoriam excedentibus feculis, femper hæc cum Ruffis negotiandi poteftas Lubecenfibus fuerit libera, Sveonum etiam pactis & privilegiis confirmata, atque fine interturbatione cujusquam usque ad florentes Gustavi Primi res tranquillè ufurpata, quæ per vim ablata, nunc iuffè repetita vindicataque fi denud ufurpent, præter fas nihil ab eis actum cenferi debet, cum confveto inveteratoque jure fuo uti, non fit cuiquam injuriam facere. Iterum dicentibus Svecis, Lubecenfium, præcipuè in Narvenfi urbe, cum Ruffis commercia, prorfus esse nova & inſolita, atque olim Decreto Hanſeaticarum civitatum interdicta, reponunt Lubecenfes: primum, cum Ruffis commercia generatim, quo liberet cunqve loco olim fuiſſe exercita: Quod Narvam verò figillatim adtinet, non diffiteri ſe, minus olim fuiſſe frequentata illic quam alibi, præcipuè onerariis navibus majoribus; quæ quondam vix niſi Revaliam adpelli ſolitæ, quibus advectæ Germanorum aliorumqve populorum res, minoribus Revalienſium navibus inde perferebantur Narvam, & Muſchoviticæ rurfus merces iisdem revehebantur Revaliam; ut hoc pacto perantiquus fuerit mos permutandi Rufficas merces cum Germanicis, & è diverſo Germanicas aliarumqve gentium res cum Rufficis, ſi non proximè, mediâ tamen operâ Revalienſium. Quo pacto evadit planum, non omni modo fuiſſe olim inuſtatam negotiationem Narvicam; ſed tantum eam, quæ nunc invaluit, onerariis navibus majoribus, quæ cœpit jam nuper, ſcilicet bello Livonico, captâ per Moſchos urbe arceque Narvenſium, quò agminatim migrârunt Ruſſi, poſtquam Revalienſes, ſuam urbem ſolam volentes haberi Rufficarum rerum emporium, nimio ſui lucri ſtudio, auctis in immenſum earum divendendarum pretiis, cauſam dederunt commercantibus, ut ſenſim, primum & clam, mox confertim & palam, Revaliâ deſertâ, Narvam petentes, confenſu tacito ſecum eò traduxerint antiquum Revalienſium jus, ut vocant, ſtapulæ. Quo factum, ut Narvam tantò cupidiùs

diùs peterent mercatores exteri, quanto Revalienfes iniquius pertinaciusque cogèrent omnes, fua omnia ipforum civibus divendere, atque ab eisdem folis, quæ expeterent, coëmere, obliteratâ prorfus olim permiffâ Rufforum liberâ peregrinis, & horum ipsis fua viciffim dandi reddendique temporis longiffimi æqviffimâ confvetudine, quæ quod immutata fit, factum eft, non culpâ Lubecenfiùm, fed Revalienfiùm avaritiâ. Ferre fe poffe, optareque etiam, ut Revaliæ, propiore, opportuniore tutioreque multò fibi ac aliis omnibus ad mare loco, quam Narvæ, fuas cum Ruffis res poffint agere, quò ipsis aliosque prope omnes pelleterat æqvior commercantibus conditio. Qvin, Narvenfes ipsis, ex veteri Crucigerorum Equitum privilegio jus id fibi competere ajunt, ejusque fruendi causâ, urbem fuam primitùs ferunt conditam. Quod verò ajunt Sveci, Narvicam negotiationem interdiktam olim fuiffe Decreto communi Civitatum Hanfæ, factum id contendunt Lubecenfes eo tempore, cum Moschicorum mercatorum plerique Revaliæ degerent, quâ defertâ Narvam petere coëgerat ipsis Revalienfiùm modò dicta iniquitas. Itaque mutatis cum tempore publicis moribus, nihil mirum, mutari instituta gentium. Lubecenfes non laturus moleftè, fi Revaliam revocari commodè poffent quoquam modo per ipsis aut alios. Porrò, dicentibus Svecis, perfpicua effe jura, quæ ab antiquo Revaliam præ Narvâ effe velint mercium Rufficarum emporium, quæ facta tecta urbi fervari pacta fubmiffionis jurejurando fervata exigant: id Lubecenfes negant penitus. Contenduntque, prius quam Revalia Sveco fe dederet, aut armis Moschi infestaretur Livonia, ipsis cæterisque nationibus exteris eximium illud jus commercia habendi cum Ruffis, non Revaliæ, fed Novogardiæ competiiffe, ubi etiam olim inftitoria rationum domus pro mercatoribus, quas Gallicâ voce contoirs plerique vocitant, non Revaliæ exiftiterint. Et licet dicta commercia Novogardiâ ad loca alia translata fit, & dictæ illæ domus majori ex parte obfoleverint, non tamen jus ad eadem Lubecenfiùm adhuc fublaturum prorfus eft, ut nec alterum, quod privilegio Magiftrorum Ordinis Teutonici, potestatem tribuit Lubecenfibus, liberè in Livoniâ, etiam bellis illic flagrantibus, negociandi cum Moschorum populo, quod cum fieri porrò non poffit Revaliæ, quò, tanquam ad locum hostilem, Ruffi fe ultrâ non conferunt, necesse eft fiat alibi, quò commeandi ipsis exterisque fupereft facultas

libera. Perhibentibus adhæc Svecis, navigationem hanc ab ipso Cæsare, aliisque Christianorum populorum summis Magistratibus, nec non Lubecensibus ipsis, palam aliquando fuisse prohibitam, respondent Lubecenses: Factum id semel à Cæsare, cum persuasum esset Ordinibus Imperii, cessurum id in perniciem Livoniæ, Sveciæ, cæterisque in proximo Christianis Principibus ac Populis, cum spes etiam esset, abstinentibus ab eâ Lubecensibus, destituros etiam à Rusiâ procul sitos populos alios, prohibitumque fuisse temporibus duraturi cum Russis belli, & ne ipsis adferrentur res bello utiles, non cæteræ merces innoxia. Sed cum deprehensum esset postea, intermittentibus eam Lubecensibus, non intermissis in circuitu populos alios, ac ne ipsos Sveones, multò minus populos è longinquo illuc tendentes alios, adhæc cessisse intermissionem hanc Lubecensibus in detrimentum rerum suarum maximum, quam prius Cæsar edicto vetuit, eandem contrario edicto liberam esse iussit & Lubecensibus, & sibi Imperioque suo subjectis urbibus ac Populis quibuslibet aliis, eâ tantum cautione adpositâ, ne, bello se exerente favitiâ Moschi, genti feræ maleque Christianæ adferrentur ulla instrumenta bellica, quod, tanquam Christianis in proximo summè noxium, omni studio devitarent Lubecenses, non vigente tantum interdicto, sed omni etiam & antè & retrò tempore: quamvis contrarium de ipsis sparsum per nationes omnes, credi indubitato velint adversarii; cujus culpæ ne ullum quidem reum produci ab ipsis posse autument, præter Joannem Schlitten civem Lubecensem, qui ejus facti insimulatus, adhuc in Camera Spirensis iudicio lite indireptâ, intentatum sibi crimen (quo successu non dum liquet) conatur depellere. Certè, tantum abest, civibus suis id jus permiserint Lubecenses, ut nulli severius prohibuerint, nec id tantum, sed sub Sacramenti etiam religione illuc ituris suis necessitatem imposuerint, non designandi unquam id Cæsareis edictis vetiti flagitii. Si diligentiam curamque similem in eo inhibendo impediendoque penes suos adhibuissent populi alii, sperare se dicunt Lubecenses, nihil periculi damnive Christianis in viciniâ populis allaturam fuisse navigationem hanc Narvicam. Quod verò dicunt Sveones, interdixisse eandem Christianos populos alios, id factum Lubecenses negant se recordari posse, præterquam à semet ipsis & Teutonici Ordinis

Magistris,

Magistris, quorum posteriores, ut soli gauderent fructu ejus mercimonii, prohibuerunt aliis, quod suis fecerunt liberrimum, quod manifestam habet speciem explosi à sanioribus monopolii. Iterum contententibus Svecis, sibi non minus quam populis aliis integrum esse, ea quæ sibi noxia, hostibus utilia, è longinquo adferunt populi alii, non tantum inhibere, sed, si fieri aliter nequeat, impedire, etiam vi oppositâ: id ajunt Lubecenses, posse utcunque tolerari, si in suos cives in sui juris maribus ac portibus fiat. Inficiari autem hic posse ajunt neminem, loca illa maris, per quæ transituri Narvam petentes Lubecenses, neque nunc esse, neque unquam fuisse juris Svecici, imò, ne priscos avi veteris Reges Sveonum, unquam arrogasse, sibi ullum imperium in omne id mare, quod Narvam Lubecamque interfluit, prius quam hodiernus Rex suæ ditioni adseruerat Revaliam. Et quæ patet vastum illud mare, loca jam dicta interluens, à Naturâ, vigoreque omnium jurium, nec non receptâ pervetusta consuetudine, liberum esse debet, nec cujusquam subjectum dominio; aut, si ejus capax est, omnis in illis partibus jubendi prohibendique potestas, nemini competit, nec unquam competierat, nisi Sacro Romano Imperio. Adhæc, si quid sibi illic juris justè adseruerint Sveones, perspicuum tamen ac evidens, ob tot Lubecensibus concessa olim & nuper ab ipsis vi meritorum privilegia, ne in ipso quidem Regno, habere ullam potestatem, novis Statutis ac Decretis onerandi tot meritis partem illic veterem libertatem Lubecensium. Tandem, docentibus Svecis, se diu jam, ne, devictis proximis, levis accessio fieri vellent, prædæ Russicæ, per difficultates omnium maximas, inhibuisse, per mare hoc quicquam à quoquam, cujuscunque sit gentis, adferri terris Russicis; neque hic remisisse quicquam, nisi in gratiam quorundam, è longinquo Gallorum, Belgarum, Britannorumve, qui ante missos in eas partes de isthoc negotio Legatos Svecicos, ignari adhuc voluntatis Regiæ, ferocisque Moschi sævitix, Narvam petierant, quibus salvi, ut vocant, conductus literæ indultæ sunt à Rege Sveciæ. Adversus ista regerunt Lubecenses prope nihil, quod alicujus sit hili, conquirentur tantum, quam in gentium dictarum mercatores nondum, præmonitos æquiritatem Rex exercuerat, Lubecensibus Narvâ domum tendentibus denegasse: cum tamen & illi ignari inhibitionis Regiæ, eò suas merces perduxissent, nec primo vere liberum habere potuerunt

Responſum à
parte Sveciæ.

runt redditum à loco, quem appetente hyeme adiverant. Hæc Lubecenſes pro datis ſibi olim in Sveciâ privilegiis, pro navigatione etiam Narvicâ, cum confutatione eorum, quæ Sveci adverſus iſta ſoliti objicere. Quid veri ſolidique habeant ſingula, operæ erit pretium diſpicere. Primum ajunt, foviffe ſe ita veterem cum Svecis amicitiam, ut omnem hominum excedat memoriam, nec olim tantum, adlatu rerum neceſſariarum ad ipſos, relatuque inde ſuperfluarum, ſed nuper etiam, Guſtaviani imperii initio, tantis beneficiis ſibi obſtrinxiffe, ut non tantum quæ petunt per regnum hoc privilegia, ſed continuandam etiam perpetuò eorundem uſurpationem, omni modo meruerint. Sed utrius in mari hoc antiquiora fuerint jura, utrius in alteram majora vetuſtioraque beneficia, Sveciæ an Lubecæ, paulò libet curatiùs inquirere. Taciti ævo, (qui floruit intra primùm à CHRISTO nato ſeculum,) *Svionum gens* (teſte ipſo) *claffibus, armis virisque valuit.* Quod ipſum in Eoum hoc mare dominium, commercandi que cum adpoſitis gentibus jus Sveonum (cum ſolidi nihil adferri queat in contrarium,) continuatum eſt in annum à nato Servatore primùm & ſexageſimum ſupra octingentefimum. Hoc enim anno, longiſſimis ante temporibus ſubjectam Sveciæ Curlandiam, tum aliquamdiu digreſſam ab obſeqvio, & infeliciter tentatam nuper armis Danicis, ad conſveti imperii reverentiam bello revocavit Olavus Rex Sveonum, in cujus acie Chriſtianorum è ſuâ gente mercatorum numerus erat non exiguus, ad domandos rebelles conſilia fuggerentium ſalubria, rem referente Rimberto Hamburgeniſum Secundo Archiepiſcopo in ſui Anteceſſoris Anſgarii tum ſcriptâ Hiſtoriâ. Adamus Bremenſis Canonicus, à Caroli Magni initio ad annum M. LXXIII. quo floruit, ſuam perducens Hiſtoriam, de re navali commerciisque Sveonum ſuo tempore hæc habet locis variis. *Ex portu Slesvicenſi naves emitti ſolent in Sclavoniam, vel in Svediam, vel ad Semland, & uſque in Græciam.* Venit autem ei hoc loco Græciæ nomine Ruſſia, hodiernum Græcam religionem, prope etiam ſcripturam, ſeqvens; Sicut Pruſſia vocabulo Semlandiæ. Alibi. *Affirmant Dani, longitudinem hujus Ponti (Baltici) ſepè à pluribus expertam, ſecundo ſtatu per menſem aliquos à Daniâ perveniſſe in Oſtrogard Ruſſia.* Iterum. *Holms (Bornholmia eſt) inſula, celeberrimus Daniæ portus, & fida ſtatio navium, quæ à Barbaris in Sveciam dirigi ſolent.*

Porro

Porro alibi describens Bircam, OstroGothorum (ævo Adami, sed nunc pluribusque retrò seculis Sveonum) urbem, hæc adjicit. *Ad quam stationem, quæ tutissima est in maritimis Sveonia regionibus, solent Danorum, Nordmannorum, Sclavorum atque Semborum aliique Scythiæ populi, pro diversis commerciorum necessitatibus solenniter convenire.* In primis verò commemorandum, quod de Julino habet, isthoc tempore celeberrimo per universum hunc Septentrionem emporio Vendico seu Vandalico. *In Odera (Viadri) ostio, inquit, quæ Scythicas alluit paludes, nobilissima civitas Julinum, celeberrimam Barbaris & Sclavis, qui in civitate sunt, præstat stationem. Est sane maxima omnium, quas Europa claudit, civitatum, quam incolunt Sclavi cum aliis gentibus Græcis & Barbaris. Nam & advena Saxones parem cohabitandi legem acceperunt, si tamen Christianitatis titulum ibi commorantes mutaverint. Urbs illa mercibus omnium Septentrionalium (quorum Sveones Gothique omni ævo præcipui) locuples, nihil non habet jucundi aut ruri.* Huc de navali potentiâ commerciisque per omne hoc mare Sveonum Adamus, totis annis octuaginta septem prius, quam natæ adhuc essent Narva, Revalia, Riga, Lubeca, cæterarumve urbium ulla ad oram Ingræ, Esthoniæ, Livoniæ, Lettiæ, Curlandiæ, Sæmgalliæ, Samogithiæ, Prussiæ, Vandalicæ Vagriæve, quarum Lubecæ natalem Conringius, aliique pluri mi, conjiciunt in annum CHRISTI M. C. LX. cum summæ rerum apud nos gloriose adhuc præesset Ericus ejus nominis, ut vulgo putatur, Nonus, qui Fennos armis subactos CHRISTO nomen dare compulit, factionibusque Danicis Upsaliæ sublatu, Anno M. C. LXI. die XVIII. mensis Maji, in Divorum numerum postea relatus est. Hæc de antiquitate juris in hoc pelagus Sveo-Gothici: de utriusque populi in alterum beneficiis videamus etiam aliqua. Lubecæ natalem vidimus conditore Bavariæ ac Saxoniz Duce Henrico Leone, ut Reusnerus vocat, *Mario Germania*, quo adhuc superstiti, sed à Cæsare ob similitates proscripso, per Adolphum Holsatiæ Comitem eadem diruitur. Restituit quidem eandem ab Anglicano exilio redux conditor: sed Anno M. C. XCV. hic Leo defensor mortuus, aliis aliisque Lupis dedit prædæ, divexitibusque eam Valdemaro Secundo Dano, ejusque post ipsum filii, Anno M. CC. XLVIII. catenis horum ferreis ad Travæ ostium obseratam Ericus Blæfus Rex Sveonum,

num, ferratâ nave secundo vento in vectus catenas rupit, constitutamque in ultimo discrimine urbem vindex præcipuus, vitæ libertatiqve adseruit, perpetuam suis Sveonibus apud Lubecenses tanto beneficio à veçigalibus immunitatem promeritus, ut nostri Danicique annales memorant. Sic Sveçi priores OB SERVATAM URBEM CIVESQVE Sospitatores dici meruere Lubecensium. Qvod ajunt, infecutis temporibus, allatu rerum necessariarum, relatuqve superfluarum miris modis sibi obstrinxisse Sveciam, adparet, his rebus sua magis quam Sveciæ Lubecam auxisse commoda. Imò, indultâ ipsi negotiatione Svecicâ, incrementa cepisse urbem hanc liqvet ea, quibus post quartidecimâ CHRISTO nato Seculi initia, usque ad præsentem, de quo nunc hic agimus, diem, velut caput se extulerat gesseratqve Regnis damnosæ societatis Anseaticæ. Perspicuum id est, ex illis, quæ decurrente hoc seculo sibi data docent, Regum Procerumqve quorundam in Sveciâ privilegiis. His vigentibus, mirè urbs floruerat, abrogatis, non poterat non redire ad eam tenuitatem, mediocritatemqve opum ac virium quam habuit ab initio. Observanda autem sedulò concessorum urbi in Sveciâ, quæ urgent, jurium occasio, quæ non exiguam lucem dabit istorum apud nos temporum caligini. Scilicet, per civiles discordias eversa domi Republicâ, adscitisqve peregrinis è Germanico Danicoqve solo Regibus, ad exteros potius quam indigenas hi manare voluerunt commerciorum ex hoc Regno evidentiôra omnia commoda. Hi in regnum hoc induxerunt peregrinæ lingvæ ignotiqve hætenus moris cives, qui ficto Regiæ cognationis titulo, matrimoniis innexi familiarum illustrium, dispendia Svecorum in sua verterunt commoda: utqve gementes subinde Sveones, Dominis alienigenis perpetuò facerent obnoxios, legem sanxerunt, diu hic relatam in publicas statutorum tabulas, ut urbium per totum hoc Regnum Senatus ac Consules, parte minimum dimidiâ, legerentur ex viris sermonis ac sanguinis Germanici, sub quibus impetrare quidvis Germanis haud difficile. Sic scissis in duas partes civitatibus plerisque, reliquoqve vulgo, inter æmulantium studia, indigenæ Teutonibus prædæ semper habiti, miserè

Hæc ex actis rē trahebant animam, & eam tandem posituri haud rarò, si quandò Regni hujus publicis, indubitataqve libertatis memores execrarentur tyrannidem, inter exquisitos cruciatu, subjecti ferris, ustulati, merisi, suffixi crucibus. His malis, inde

ab excessu Sverchonis Senioris Regis, usque ad Gustaviani Imperii initia, per annos trecentos sexaginta sex, perpetuum dederunt formidabilem bona pars Ecclesiasticorum Regni hujus Procerum, qui abolitâ veteri domesticorum Regum successione hæreditariâ, licitantibus similes, sceptri Candidatis, venale exposuerunt regnandi decus, cessurum maximo pro ipsis immunitatum exitioso patriæ mangonio. Sic increscendi studio, per factiones adsciti in perniciem bonorum tenuiorumque Dominatores exteri, excussive iterum foliis, quoties futuri adsciscentibus graves, adversus solemnem, quæ diu sensim cæterisque non advertentibus inoleverat, immunitatum exemptionumque, ut vocârunt, formulam. Sic depascente omnia domi Ecclesiasticorum civium ambitione, peregrinorum duritiâ, ommissa vetus incolarum mirè olim valideque florens navigatio, interversaque ex antiquo, ut vidimus, his debita lucra, pingvescentibus inde exteris, unde Sveonibus, post lentum tabum feralemque maciem, certa mors ac pernicies. Se irrepsisse semel in Teutonum hanc adversus Svecos societatem læti Lubecenses, inde se deturbari ægrè pati poterant: quasi esse posset liberæ natæ genti ulli, exterorum vi ac astu, nullo suo scelere procurata, ad servitutem ignominiamque perpetua obligatio: quasi suum in alios beneficium, ipsi esse deberet perpetuo oneri. Hoc in Sveones prætensi Lubecensium juris fundamentum unicum: hæc in gloriosissimos Patriæ Reges armorum justitia. A quibus cætera ipsorum haud dissident. Nam quod sub Gustaviani regiminis initium servati Regis Regnique gloriam sibi tribuunt, nihil magis habet ex vero, quam quod superius ab ipsis jactatum vidimus. Non inficiamur, æquitatem Nicolai Bröms supremi tum Lubecensium consulis, persequentibus Gustavum non dum Regem Danis, onerariâ nave abditum clam dimisisse in Sveciam, cum esset, non captivus Christiani II. di Dani, sed in paucos tantum dies datus obses, fidei servandæ causâ inter patris sui avunculum Stenonem Sturium & Regem hunc Daniæ, donec inter ipsos pax fieret: quem conciliandæ pacis præcipuum ministrum, cum pluribus Senatorii Ordinis viris aliis, contra fidem publicam & jus gentium in Daniam raptum diuturnâ sepsit custodia. Contra fas sic detentum, justaque fugâ elapsum reposcentibus ad carceres Danis non reddidisse, quamvis gratuitum videri poterat beneficium, tamen potius munus erat debitum justitiæ; in cu-

jus communionem haudquaquam venire meruerunt urbis istius cives, qui renuente consule, infontem Dano dedendum censuere, quem tueri omni ope debuissent ex æqui bonique regulâ. Itaque hoc fecisse, quamvis erat beneficium, tamen non fecisse fuisset flagitium. Beneficium, inquam, innocenti ex æqui præscripto debitum. Ajunt, classe instructâ Gustavo se vindicâsse Regnum, depulisseque hostium præsidia. Certum est, ingentem pactos mercedem, id officii in se recepisse Lubecenses, acceptisque ob id amplissimis stipendiis, Gustavo Svedisque venditâsse hanc operam: Sed cum ventum esset in rem præsentem, exiguum fuit, quod tanto fidei autoramento, juratisque promissis præstiterunt. Quippe Severini Norbyensis classis, opem latu-
 ra Danorum Holmiam tenentium præsidio, quum nocturni frigoris vi, velut captiva teneretur glâcie constricta in portu Holmensium, nullis Gustavi precibus, nullo pretio adduci potuerunt Lubecenses, ut opportunitate superandi hostis usi, magno redemptam præstarent operam Regi ac patriæ. Quin, jungentes clam cum hoste consilia, detrectandæ pugnæ trahendique belli autores Dano, videri volebant Svecis necessariû, ut hoste non debellato, in plures menses ipsis stipendia procederent. Frangi tamen quam primum incidiqve omnes æquè infestantis Christierni vires, non Sveciæ magis quam Lubecæ intererat. Nec tanti erat periculi, ut ferunt, Regem sævum supraque humanum modum immanem armis persequi, ut quem nec sui Dani ferre ultrâ poterant. Quæ enim arx satis firma, quæ custodia satis munita ac tuta facinoribus immitibus ac cruentis? Adeò, averfante DEO, nihil præsidii adfert magnitudo humanæ necessitudinis. Cui rei nullum Christierno hoc documentum illustrius, qui trium potentissimorum Regnorum Dominus, in fidei suæ gentis pactionibus redactus in potestatem, per annos viginti septem, inter spiculatorum servorumque viles manus captivum emisit spiritum. Debellatus sanè fuisset Severinus hac vice, si quam in exigendâ stipe acerbitatem, in præstandâ fide promptitudinem adhibuissent Lubecenses. Atque est hoc promissæ in Gustavum fidei argumentum commemorabile. Sub duarum in Sveciâ arcium oppignoratione, petiit sibi duas concedi colubrinâs, ut ex vicinâ insulæ colle in Norbyensis glâcie impeditam classem torquere posset fulmina: sed impetrare non potuit, tantisper nequentibus illis moras, aliudque ex alio causantibus, donec postero die

die secundis tepentibusque ventis solutâ glacie, Severinus anchoris velisque levatis elaberetur, non uno modo post infestus rebus terrisque Sveonum. Post paucos annos, firmatis rebus suis, cum cerne-
ret Gustavus, in dies damnosiora fieri sibi ac civibus Lubecensium, cum Svecis solito modo commercia, ad quæ, præter Ansæ focios, admitti volebant neminem, merces Sveonum suasque quo ipsi vel-
lent censentes pretio se & Svecos prohiberent fretum transire sinus Co-
dani, aut tentare Oceanum, ut debuit, indignè tulit postulata iniquis-
sima, & cum Batavis primum, Gallisque postea, foedus inivit mutui
commercii, quo offensi Lubecenses, deprehensas in portu suo naves
mercesque Sveonum primi publicârunt, jactantes palam, extulisse se
Gustavum in solium, detracturos inde haud majore negotio; quasi
auxilia ad profigandum Christiernum collata, non æquè profuissent
ipsis, & Gustavus in Severino compscendo non ipsis retulisset paria.
Rempublicam illic tum gessit Marcus Mejerus, ex fabro tribunus, ex
tribuno Eques & Consul, omnia inquietis miscens consiliis. Is Svan-
tonem Sturium, in aulâ Laverburgicâ degentem, callidè in insidias
perductum, ad bellum Gustavo inferendum cogere nitebatur, pater-
ni Principatus injiciens spem improbam. Nefas averfantem, in cu-
stodiam dedit, literas proditorias annulo adulterino subsignatas per-
ferendas curans in Sveoniam. Höjenssem Comitem, adfinem Gusta-
vi, amplissimis in Sveciâ cumulatam bonis, in partes suas pellexit,
qui postea belli Dux contra Christianum III. Regem, cum Techelen-
burgio & Upsaliensi quondam Archiepiscopo Gustavo Trollio in Fyo-
niâ pugnans cecidit. Ob multiplicem hanc in se injuriam, cum ve-
tera Lubecensium in Regno suo privilegia abrogaret Gustavus, ita in
se commovit, ut percussores in ipsum subornaverint. Manus isti
sceleri commodaverunt quidam mercatores Teutonici, qui nitrati
pulveris dolium sub sede Regiâ in templo Holmiensi majore recon-
diderunt, Regem sacris deditum parricidiali fulmine extincturi.
Sed re per temulentiam unius ex conscis patefactâ, de parricidis
sumptum supplicium. Tot Lubecensium injuriis incitatus Rex, anno
seculi hujus XXXIII. privilegia, quibus per annos tum novem usi, ab-
olevit penitus, cum quadriennio prius, per Comitem Höjenssem &
Ulphonem Gylerum Secretarium Lubecam missos, obtinuisset ab eis,
ut in communionem eorundem, ex Ansæ focii reciperentur soli

post id tempus Dantiscani, atque iterum transactione aliâ anno sequente, inter Birgerum Nicolai Svetici sanguinis virum Equestrem è Gryphorum familiâ, eundem Gylorum & Olavum Brôms atque Lubecenses, jussu Regis conventum esset denuò, ut prima Stregnesiâ data privilegiorum formula restitueretur Regi, contentique essent eâ, in quam tum utrinque consenserant, scilicet, quâ Anseaticarum urbium nulli præter Lubecam fas esset frui immunitate in Sveciâ, ac nec huic, nisi in quatuor duntaxat urbibus, Holmiâ, Calmariâ, Sudercopiâ, Aboâ, idque more veteri, recepto prius quam data essent immunitates istæ Sveonibus prægraves. Adjectum etiam insuper, si quis Lubecensium convinceretur, suo nomine texisse merces civium urbis alterius, ipsæ cum nave cederent fisco Regio. Harum transactionum immemores, primæ institerunt pertinaciter, quæ, præterquam quod iniqua, & exitiosa rebus Sveonum, etiam jure amissa tot in Regem Sveonesque injuriis, sicut ab initio parta videri poterant quibusdam in ipsos beneficiis: quæ tamen ipsa, præterquam quod saluti magis cessere Lubecensium quam Sveonum, etiam repensâ sunt multò majoribus quam ipsi taxarant stipendiis. Ut omitamus id, quod non tantum vetustiora, ut docuimus, sed & majora, etiam proximis temporibus, Sveonum in Lubecenses, quam horum in ipsos, fuerant beneficia, ut quorum ope, cum omni fructu diu tenuerunt Bornholmiam, ferro igneque Lubecensium hostibus infensam vastarunt Helsingoram, & infensissimum ipsis hostem Norbyum depulerunt Gothlandiâ, spe quidem ab ipsis factâ recipiendæ in ditionem Sveonum insulæ, ad quos à vetustissimis temporibus spectarat, sed à quâ suis artibus excluderunt iterum, dum desertis, post id beneficii, Sveonibus, ad partes transiverunt Danicas, spretâ fide, quam fecerant per civem contribulemque suum Hermannum Israël, quem, quod promissis irritis se fefellerat, & ingentem summam ex persoluto Lubecensibus ære, in suos usus, Rege urbeque inficiis, nefariè converterat, Rex Malmogiz malè mulctari fecisset, ni plus quam meritis ejus tribuisset amicorum precibus. Hæc erant privilegia Lubecensium, quæ tot parta perhibuerunt suæ urbis in Svecos meritis, sed amissa reticuerunt haud minoribus injuriis. Quid verò iniqui commissum à Gustavo secutisque Regibus, si in sic abrogatarum sibi suisque gravium, immunitatum locum, alias dedit, quæ juris utrobique æqualitatem inducerent, quum

haud

haud multò minora sua Majorumque in ipsos, quam ipsorum in se suosque existissent merita? Quid item trahit ex iniqvo, flagitare, ut ad quem ex indebito beneficio redundat multiplex fructus, idem, si quidem eo diu frui volet, aliquid persentiscat oneris? Qvod ajunt, dum arbitria ortarum utrinque litium Rex ad se pertrahit, derogari multum auctoritati publicorum judicum in Germaniâ, non vident, aut potius videre nolunt, æqvè decedere multum Majestati Regum Sveciæ, si cives suos à Lubecensibus patiantur trahi ad tribunal vel Camerae Spirenensis, vel Aulae Cæsareæ. Sic quoque frivolum est, qvod adserunt, absurdè peti jus conducendi militem Lubecæ adversus quemcunque hujus Regni hostem, cum sic permitti id posset adversus Cæsarem, aut Imperium; quasi id unquam Reges nostri flagitaverint. Sed omissis his, properabimus ad perstringenda obiter, si qua occurrent, majoris momenti alia. Qvod sua quam Sveonum antiquiora ferunt cum Russis commercandi jura, excedentia hominum memoriam, id jam aliquoties ante revicimus. Et commodè porrigunt ipsi ferrum, quo omnino secemus hujus litis jugulum, dum fatentur, duas inde à pluribus retrò seculis Novogardiæ existisse institorum domos, alteram Gothicæ, alteram Germanicæ nomine: quarum Gothica illa, à Gothis olim possessa, Germanicâ haud dubiè vetustior, sicut Gothorum nomen ac fiduciarium penes Ostrogardicos seu Aldejuburgicos Reges Imperium, multis ante Germanorum Frisiorumque eò perductas colonias seculis, fuerat in illis oris celebratissimum: qvod ex parte probatum dedimus prius, adductis in eam rem idoneis testimoniis, & copiosius facturi, si DEUS volet, alibi, cum seridè acturi sumus id negotium. Et Sannogithiæ adhuc superstes in Sarmaticis terris nomen, monstrat, coadunatam ex omni parte Gothorum multitudinem, illic diu fixæ sedis reliquisse vestigium, manante etiamnum ad nos haud absurdo sono pervetusti nominis. Est verò id mirum, qvod extinctis jam Teutonici Ordinis Equitum antiquis juribus in Livoniâ, terræque ipsa vel in Sveonum vel Polonorum cessa arbitrium, vel ob vibrata adhuc illic arma diversorum Principum, juris dubii, Lubecenses vigere nihilominus velint everforum quondam Dominorum privilegia, quæ quondam florentes ipsis dederant; atque dederant ita, ut cum rebus suis damnosa viderint, abrogârint iterum, ut Lubecenses ipsi non dissententur. Qvod Cæsar hic per Equites adempta voluit restitui, potuit

potuit facere, dum sui esset juris terra cum populo : Nunc submit-
tente se eâ ipsisqve Equitibus Principum aliorum arbitriis, ejuratâqve
reverentiâ Imperii, privilegia hujus generis, non amplius ex Cæsaris,
sed istorum Principum ac populorum pendent arbitriis, quibus se illi
submitserant. Examinaturi Sveonum adversus Narvicam navigatio-
nem rationes, ludunt magis quam pungunt suis quibusdam argutiis.
Primum, negantes eam ullo modo noxiam vicinis Principibus ac Po-
pulis, quærentque, cur, si talis, ad suæ ditionis urbes translata
malunt, quam abolitam? Cur non quærent potius, cum carere Rus-
sorum mercibus nequeant, habere illas malint à Russis ipsis, quam
Sveonibus? Si dicunt, æquiore ab illis quam his haberi posse pretio,
id ipsi suis evertunt ratiociniis. Fatentur quippe, propiore, tutiore,
commodioreque multo Revaliæ quam Narvæ portu eas peti. Si sic est,
ut est omnino, cur lucelli particulam invident mercatoribus Svecis ac
Revaliensibus, ad se Narvâ merces illas deferentibus, quum è remotio-
re illo loco petituri ipsi, & plus viæ conficere, & plus temporis con-
sumere teneantur omnino, adeoque plus facere sumptuum, iisdem
passuri, si è viciniore loco, minore temporis sumptuumque faciant
impendio. Cur à se quam Russis eas peti malint Sveones, causa non
obscura est. Sic enim curaturi rectè, ne quid ad hostes noxiarum
mercium perveniat : Quod quamvis curaturos se pariter spondeant
Lubecenses, illud tamen verbis pollicentur benignius, quam præstant
opere, ipsa docente experientia, sic abundasse toto hoc belli tem-
pore Russos omni instrumento bellico, ut non aliàs facile magis : Quod
quum habere nequiverint à Svecis, Polonis, Livonisve jam hostibus;
necessum est habuisse ab eò commeantibus mercatoribus, quorum
etsi omnes excusseris loculos, ita quæ ferunt abdere docuit cupido
lucri & avaritia, ut non rarò fallant, etiam sagacissimos. Unum
hujus facinoris compertum fatentur ipsi, sed fallentium sollertiam
investigatorum ingens est numerus. Unde enim aliter habere tot
arma Russus potuit? neque enim in castra ipsorum depluisse credi-
bile est. Quantumcunqve fecisse id se negent Lubecenses, & è lon-
ginqvo mercatores alii, factum tamen constat rei evidentia. Quæ
quum causa tracti tam diu belli sit evidens, ne ultra talium culpa
trahatur, Sveonum sanè interest. Trahi autem necessum est, quam-
diu cum fallendi artificibus Russis permittitur advenis commercium.

Iterum

Iterum negant, Svecis noxia exterorum cum Moschis commercia. Nam, aut olim etiam sic fuerant, ajunt, aut nuper esse coeperant. Si illud, cur tam diu sine questu ullo, tolerarant taciti? Si hoc, cur hodie damnosa magis, quam elapsis seculis? Et cum horum decursu superesse potuerint non subversi damnis, nunc tantundem superesse posse doceret ratio, nisi monopolii nunc in ipsis major, quam exactis temporibus, appareret ambitus. Sic illi malè in nos collectis pugniant rationibus. Ajunt, sine sensu damnorum tolerasse olim: tolerare etiam posse in posterum. Sed, illud omni modo improbabile, hoc Divinis Humanisque legibus aperte contrarium. Tolerasse diu fatemur, culpâ malè animatorum quorundam patriæ civium, Ordinis præsertim Ecclesiastici, qui, ut obsequentiorum suæ haberent voluptati patriam, juvari utcunque maluerunt, cum sic res poscerent, alienis opibus, quam pollere propriis: in subjectorum infirmitate ac inopiâ, sui dominatus statuentes tutamen, divisaque inter se jubendi prohibendique potestate, indigenas prædæ dantes exteris: quorum quam acerba in hos fuerant odia, superius, quantum instituti tulit ratio, diximus. Cumque pertæsi servitutis irrogatâ à deditis studio Pontificum, ad priscae libertatis desiderium cives vocaret Engelbertus, Carolus Canutides, Sturiusve quispiam, suis Romanique Væjovis diris devotos excussere gubernaculis, hi, qui degustatâ semel dominandi dulcedine, præsentis civium servitute, antiqve Sveonum Gothorumque tot per orbem victoriis sparsam gloriam, quantum in ipsis, obnubilatum extinctumque ivere. Quot sub his malis ediderint questus, gemitus, planctusque, oculis siccis, auribusque furdis longissimo tempore perceperant Lubecenses: Sed ferreis peccatoribus tantum abest hæc moverint miserationem, ut Patriæ infelicitati, suis rebus utili, non olim tantum, sed salutis libertatique recipiendis signum quoque tollente GUSTAVO Patre Patriæ, ipsi non tantum obstrepere, sed etiam insultare, volupe sibi duxerint. Indigenarum, per externos, præcipuè Germanos, quorum peracerba olim in Sveones odia, procuratam servitutem, perpetuam esse voluerunt Lubecenses. Sed DEUS miseratus sortem iniquissimam, illato cum Evangelii luce desiderio libertatis pristinae, ad se ex longo errorum peccatorumque diverticulo Regni hujus cives, revocari voluit ad lætiorum suarum rerum seculis superioribus faciem, misso, eluctante-

que per difficultates omnium maximas, pietatis, justitiæ, clementiæque amantissimo Principe GUSTAVO, illo invictæ virtutis Scipione Gothico. Hoc Ductore, velut altero Mose aut Samsone, oborto errorum malorumque fastidio, Sveones Gothique Hebræos imitati, divino haud segniter invocato auxilio, servitute depulsa, sibi Patriæque libertatem peperere, freudentibus ab omni parte inimicis, sicut olim servitio exeuntibus Hebræis, graviter succensuere Pharaones & Allophyli. Quid autem Divino humanove juri adversius, quam semel subjugatos, liberioris auræ haustum invidendo præcludere, qui generosis pectoribus etiam vitâ carior? Superesse enim his cum gravi jugo impotentis Domini, non est superesse; Sed cum exiguâ imagine vitæ, civilis mortis subeundo legem, in mortuorum potius quam vivorum haberi contubernio. Sed rei manifestæ convenit brevior oratio. Quod verò contendunt Lubecenses, non cuiquam se facere injuriam, cum utuntur jure suo veteri, aut in usum revocant, quod antiquatum sit, id pro Svecis quam Lubecensibus valebit meliùs: utpote quibus hoc mari navigandi commercandique jus, ante natos ipsos urbemque, competiisse, totis minimùm seculis post CHRISTUM natum duodecim, per testes irrefragabiles, docuimus. Hi itaque audent antiquitate juris certare cum Sveonibus, & præscriptione se tueri longissimi & humanam memoriam superantis temporis, quorum non natalis tantum, sed incrementorum quoque gradus deduci possent ex scriptoribus, si foret res hujus operæ? Quamvis quod pro se hîc allegant, facti tantum sit, non juris. Jus enim justo bonoque nititur: quod esse non potest in factio iniquissimo, irrogandam censente servitutem genti, quæ tot seculorum illibatam intactamque libertatem sciat præscribere, ante quam auditum sit usquam nomen Lubecensium. Dolemus tamen, paralogismos hos habuisse eam vim apud populos populorumque Principes nonnullos, ut plus illis, quam solidissimis in contrarium rationibus Sveonum tributum sit. Sed fiunt persæpe talia, cum aut invidetur eximie alicujus gentis quamvis immeritò suspectæ magnitudini, aut spes lucri adfulget his, qui se dedunt totos commercii, penes quos plerumque habetur insuper quies & salus gentium, cum alienis spretis, suis unice incumbunt commodis. Quæ de loco uno ad alium translatis narrant Russorum commercii, item de jurè in hoc mari Regalium

lium Germanici Imperii, tam levia sunt & imbecilla, ut diffuari possint uno halitu, & adversus Svecos accersita, nullius sint pretii, quod ex hæcenus dictis speramus esse apertissimum. Quod conquærentur non eam sibi æquitatem, quam remotiorum gentium mercatoribus, præstitisse quosdam Reges Sveonum, in interceptis Narvâ redeuntibus navigiis, sit ab ipsis immeritò: quum hi ignari ab initio interdicti Regii, dimitti indemnes debuerint, illi autem maturè præmoniti, spre-tâ autoritate Regum, multisque ac enormibus in Sveones injuriis, eâ se bonitate indignos præstitierint. Hæc obiter ad peracerbum libellum Lubecensium: Nunc ad cætera Ponti nostri redibimus. Quæ huic apud Cæsarem nomine sui Regis curanda negotia fuere; quid Cæsar ad eorum singula respondit, vidimus; simul, ob argumenti adfinitatem, sub examen obiter vocavimus scriptum Lubecensium, quo illi Regum ac Sveciæ Gothiæque populorum famæ & libertati illudere veriti non sunt. Atque, ut speramus, non indignanter ferent Lectores æqui, quod scripti istius, se veri justique peplo tegentis, patefactæ nuditati, falsi iniquique melius congruentes pannos, pudori utcumque obtegendo, injecimus.

Sic impetratis responsis à Rudolpho Cæsare, commendatitiis-que ab eodem & Maria matre literis ad Regem Hispaniæ & Pro-Regem Neapolitanum, nec non aliis amorem benevolentiamque testantibus in Regem Reginamque Sveciæ, cum actorum apographis in Sveciam ablegavit Johannem Salsium, Stralesundam Bruferum sibi à secretis hæcenus, ut in causâ Brunsvicensi Regi ad manum propius esset; nec non in Italiam sibi præmisit Laurentium quendam Capitaneum. Ipse dictâ decenter salute quibus ex officio debuit, cum traditis comitibus die X. mensis Martii relicta Pragâ, post diem quartum decimum Oenipontem pervenit. Post quatrimum inde discedens, per Tridentinas fauces Italiam ingressus, trajecto Pado, & impetratis liberi itus reditusque literis à Duce Parmensi, per urbes Parmam, Regium Lepidi, Mutinam, ubi per festum Paschatos quævit, Ferrariam, Bononiam, Lucam, Florentiam & Senas, Romam sub mensis Aprilis initium pervenit, mansitque in diem mensis sequentis septimam, non semel admissus ad miscendos sermones cum Gregorio XIII. Pontifice. Ad tuendam dignitatem sui Regis, ac muneris, quod ipso jubente ges-sit, & majorem ministrantium numerum adsumpsit, & carpentis pluri-

d. 10. Martii.

d. 24. Martii.

d. 28. Martii.

d. 7. Maji.

bus vectus per urbem, ad Papæ Purpuratiqve Consilii venit colloquia, habuitqve quotidie ad mensam suæ familiæ homines plurimos, præter hospitem ac advenarum ingentem numerum. Illic expeditis ritè omnibus, & præmissis per mare ministris plerisque ac sarcinis, ipse terrestri itinere per Latii Campaniæqve fecundos agros contendens, Puteolis celebratò solemnì festo Pentecostes, quartoqve post die, qui ultimus fuit Maji, cum comitibus Neapolim ingreditur; Hic gravi correptus febre, hauriendæ salubrioris auræ causa, in agris extra urbem positam conduxit domum, unde, quoties fieri per validitatem potuit, cymbâ vectus, Pro - Regis conveniendi causa, urbem revisit, advocatorum scribarumqve conductâ operâ usus in exigendo eo, quod ex Barriensis & Rosanensis Ducatus redditibus à Socru Bonâ Reginâ emptis ad Regis conjugem ac liberos pertinuit, cujus gratiâ illuc venerat. Quid id fuerit, & quanti pretii, nullis suppetentibus eâ de

Postquam hæc absolvi, reperi inter Schedas Ponti, epistolam Caroli Brancatii ad Pontum autographam, scriptam Neapoli d. 1. Aug. Ao. 1580. ubi ait Regi Sveciæ judicium sententiâ decretam fuisse summam ducatorum unum supra quingenta & quadraginta millia, monetæ Neapolitanæ, quæ apud mensarios in numerata pecunia sit deposita, quam svadet primum quovis tempore, per idoneum Regis nuncium perferri in Sveciam: addens tandem ista. *Di tal modo saran connosciute le diligenze, travagli, & fede di V.S. & mia, & che la venuta mia in Suetia, ne la venuta di V.S. in Italia son state in vano. Talche tenerò per certo, che hora saran cessate le calunnie di malevoli, & discoberta la malvagità di loro. Id est:* Ex his liqvebit utriusque nostrum in commisso hoc negotio diligentia, labor fidesqve, & quod iter meum in Sveciam, Tuumqve in Italiam, non suo fructu caruerint. Cessaturasqve confido in posterum improborum calumnias, postquam detracto jam fuco ipsarum dispalescet fœditas. Certè, quæ Maimburgus de Ponti negotiatione apud Gregorium XIII. Papam fabulatur, sive illa pro more suo, deficientibus rerum documentis, proprio effinxerit arbitrio (*trouve dans moy meme*) sive aliorum minus veris relationibus fuerit seductus, (*par l'entremise de quelqve livre*) nihil veri continent: vel si quid contineant, depravatum valde & corruptum exhibetur. Utut enim ægre concedimus Ponto fuisse datum negotium, ut restitutionem calicis, quo laicos defraudare per aliquot tum secula invaluerat, urgeret postulareqve, ut sacra modo intelligibili peragerentur, hominesqve hoc modo à brutis distingvi Papa pateretur; non tamen quisquam sanæ mentis exinde judicaverit ad religionem Romano - Catholicam transitum hoc modo parari. Quin hoc potius, ipso Maimburgo consistente, est tertiam aliquam religionem, animo agitare (*une espece de troisieme religion*). Immo vero ipse commemorat Regem Johannem omnem abruptisse negotiationis telam, cum Possevinus nihil præter pulcras literas Româ adferret; ceteroquin contenderet, ut Rex se autoritati Papæ in iis, quæ postulasset, submitteret. Quid autem sibi vult, Catholicum esse (sensu papistico) nisi au-

de re documentis, ac nec visis usquam mandatis de isthoc negotio Regiis, non est nunc nobis promptum dicere. Credibile est, sequenti tempore, aliis post alios è Regiâ hac stirpe decedentibus, in dividendis post mortuos hæreditatibus, distracta fuisse scripta, quibus hæc continebantur, nec postea publicis reddita grammatophylaciis. Mansit verò Legatus Neapoli vicinisque urbi locis tres menses solidos, expeditisque, ut fieri potuit, negotiis, die XXVIII. mensis Augusti, ce-
d. 28. Aug.
 loce veclus Pontificis, Romam revertit. Absente tum ab urbe Pontifice, ad quartum decimum ab urbe lapidem degentem curru ter a-
 diit, per dies illos XX. quibus Romæ Neapoli reversus substitit. Ro-
 mæ dum fuit, Varmiensem, inter cæteros, Cardinalem, Stanislaum,
 Hofium crebro invisit, Reginæ haud dubiè causa, cui origo ex Po-
 loniâ. Habuit etiam illic frequenter in convivio secum Olavum,
 Magni & Botvidum quendam Nericium gente Sveones, Pontificiis sa-
 cris adprimè deditos. Quid Regis nomine cum Pontifice egerit, non
 perinde liquet, cum regiorum mandatorum nihil eâ de re videre
 contigerit. Româ discedens, per Florentiam, Bononiam, Ferrari-
 am, Mantuam, Estam venit Patavium, ubi ob adversam valetudinem
 tres mansit dierum hebdomas, Paulum Ferrariensem inde mittens
 in Sveciam. Mense Decembri, comitibus Turone Bielckio, Capitaneo
 Blanck Gallo aliisque, Venetorum urbem adiit, & salutato illic Du-
 ce, visisque rebus, quibus urbs abundat eximiis, post alias tres hebdo-
 mas repetiit Patavium, & per urbem Tridentinam, ubi ipsum con-
 venit Comes de Harck ejusque filii, tum Oenipontem, tum Augustam
 Vindelicorum invisit, unde, circa novi anni initium, Capitaneum Lau-
 rentium & Typotium, largis instructos viaticis, sibi in Sveciam præmi-
 sit. Ipse per Argentinam Alsatiz, & Blamundam Lotharingiz, descen-
 dit in Ostfrisiâ, & post paucorum illic dierum moram, per Ham-
 burgum & Rostochium, ubi, cum Davide Chytræo aliisque eruditione
 claris viris contraxit amicitiam, ipsorum carminibus ac epistolis inde
 frequenter compellatus in Sveciâ, die XX. mensis Februarii Stralesun-
 dam pervenit. Illic, comparaturus redditui necessaria, mansit in
 Martii mensis diem vicesimum nonum, quo conscensa nave, post di-
 es non adè multos, usus ventis, pro illâ anni tempestate, satis secun-
 dis, rebus probè percuratis, Regi ob fidem & sollertiam eximiè carus
 revertit in Sveciam, postquam inde jam abfuisset menses septem &
 annum integrum.

Interea dum foris vacat his rebus obeundis Pontus, Rex domi acerbè vexat purioris doctrinæ assertores Episcopos & Presbyteros, instigantibus animum conjuge, Rege Gallorum, Hofio Cardinale, Posselvino, Herbesto, Closter Laffio, Fechtenio, aliisque, semel hic piè rejeſtorum Papæ dogmatum, ejurataque tyrannidis interpolatores noxii. Quod malum in mortem Reginæ gravissimè adfixit patriam. In Livoniâ, evocato inde Ponto, quid interea acciderit, narrari hic convenit. Ferè quo tempore Pontus Sveciâ excessit, Legati Maximiliani Cæsaris suppetias adversus Polonum petitori Holmiæ erant; adfuisse simul Legatos Bathoris è Poloniâ diximus, quorum Princeps Johannes Herbrotus de Fulsin, Regis sui nomine petiit ab adfina Rege Johanne amicitiam & societatem adversus Russos, qui omnibus jam viribus incubabant Livoniæ; simul etiam Revaliam in portum & stationem Polonicarum navium, quæ Moscho prohibituræ essent commeatum, & bello necessaria per Narvam advehi; tum etiam naves, tormenta, & bellici apparatus instrumenta alia pro certo pretio. Amicitiam, & fœdus in Moschum communem hostem non abnuit, eâ tamen lege, ut quæ bello singuli in Livoniâ hosti extorquerent, jure victoriæ sibi retinerent ut propria. De Revaliâ autem, navibus tormentisque concedendis pro pretio, modestè renuit, causatus, ad sui securitatem non carituram illis Sveciam. Ut simul fama increbuit, cum ingenti exercitu in vasurum Moschum Rigensem diœcesin, minarique obsidionem Revaliæ, omni modo defendendum sibi hunc locum Rex arbitratus, & commeatum uberem, & cætera subvehi fecit bello necessaria.

Anno 1577.

Anni sequentis mense Januario, ferè cum Norimbergâ Pragam Pontus tenderet, novâ obsidione Moschus cinxit Revaliam, adductis Russorum quinquaginta millibus, tenuitque arcè clausam urbem per septem hebdomadas, in tecta indefinenter jaculatus globos igniferos, & muros quatens machinis. Sed urbem ita strenuè defendit Henricus Claudii Hornius, ut aliquot suorum millibus desideratis, adulto mense Martio hostis discedere coactus sit. Hoc ipso tempore, Bathor Rex, proscriptis Gedanensibus tanquam perduellibus, bonisque ipsorum publicatis, quod in Maximiliani electionem pridem consentientes, ad nutum ejus, priusquam ipsis de indemnitate & libero Lutherana pietatis exercitio cavisset, submittere se ei nollent, in Prussiam rapto exercitu, urbem oppugnare institit. Absentiâ Poloni in suam rem

rem ufurus Moschus, ex Magni Hofati confilio, quo tanquam illice, ad inescandos in Livoniæ oppidis Germanos hætenus ufus fuit, contractas è Livonicarum urbium præfidiis quam maximas poterat copias, filio comitatus & dicto Magno Dani fratre, in Livonos raptim ducit. Perfpecto eo confilio, Præfectus Polonicus Johannes Codchevitzius Lithuanus, nudatam fuo auxilio Livoniam deferens, opem Regis imploraturus, Dantiscum properat. Dum illic hæret, uno impetu Moschus capit univerfas arcas ac oppida Rigenfis diœcefios, Ludfeenam, Resittam, Duneburgum, Kakenhufium Archiepifcopi fedem, Afcheradum, Seswegam, Cygnæam, Tricatiam, Smiltenam, Volmariam, Vendam, & quicquid ejus diœcefios ad aquilonarem Dunæ ripam fufpexit. Ad Afcheradum quidem ufque processit fine maleficio, ut collectâ initiô clementiæ famâ, insolentius postmodum, se suaque dedentibus, illuderet. Huc magnus utriusque sexus variæque conditionis hominum, præcipuè matronarum ac virginum numerus confluerat. Urbe potitus Moschus, omnibus, qui arma ferre possent, trucidatis, imbellem sexum Tataris promiscuè constuprandum objecit. Inde cum exercitu Vendam progreditur, ubi cum oppidani ad tantæ immanitatis famam territi portas occlusissent, Magnus pro eis deprecator egressus, genibus supplex advolvitur. Sed pro gratiâ conviti-um tulit; etiam verberare in os à Principe ingesto exceptus. Eâ recognitâ, oppidani, cum nihil in Magno præfidii, nullamque in Moschi gratiâ spem residuam cernerent, desperatione adacti, virorum quidem pauci è præcipuis, sed trecentæ circiter matronæ ac virgines se arcu includentes, potius quam impuram sævæ gentis libidinem ante necem experirentur, immisso igne in defossos pyrii pulveris cados complures, momento temporis calamitatibus suis defunctæ sunt. Perniciabile fulmen arcis, bonam etiam partem urbis adflavit. Cujus ruinis potitus Tyrannus, virorum illic repletorum alios in frustra dissecari, alios verubus impositos torreri, aliis cor & linguam evelli antequam necarentur, omnes inhumatos ad bestiarum pastum projici jussit. Volmariæ repertos Magni Hofati consiliarios & ministros, quasi non Imperatori Moschorum sed ipsi parituras urbes has recepissent in fidem, in conspectu suo jussit trucidari. Sævis his spectaculis in præfens satiatas Plefchoviam revertit, recensitamque ibi captivorum multitudinem pecorum instar Tataris vendidit. Isthac expeditione, Ri-

gâ & Revaliâ, paucisque circa eas castellis exceptis, totius Livoniæ Moschus compos factus est, & simul imaginario Holsati Regno in Livoniâ tragicus finis impositus, qui tantâ Tyranni sævitiâ alienatus ab ipso, verensque majorem, quippe rebus omnibus nudatum in Scythiam deportaturum minatus erat, sequenti mox anno ad Polonum transiit, ubi nec adeò secundâ fortunâ usus, sexto post anno, tot jactationum pertæsus, tamen, quod sine prole decederet, lætus, ad plures abiit.

Anno 1578,

Post Magni discessum, Sveones, Henrico Claudii Hornio Duce, Ingriam diripiunt, non sexui non ætati parcentes. Huic expeditioni interfuisse, aut præfuisse etiam Carolum Ducem Sudermanniæ est qui memorat, quem ætatem eam domi exegisse, quæ ad manum sunt certæ fidei monumenta, perhibent. Moschus jam ad sua redierat, abducto secum Alexandro Polubenfcio Chodchevitii Legato, aliisque Polonicis Præfectis Livoniæ. Successu elatus, ex itinere ad Bathorem Regem literas dedit, quibus superbè ei præscripsit, ut à Livoniâ abstineret in posterum. Per-absurdam agrestemque vanitatem adjecerat, Majores suos ad Prussum quendam Octavii Cæsaris fratrem genus referre, qui Choinicii & Mariæburgi, & in reliquâ Borussia latè imperitasset, ac proinde Imperii sui jura ad Prussiæ usque fines extendi voluit. De novis his veteribusque aliis injuriis Legatos questum ad Moschum Bathor misit, præcipuè, ut de damno induciarum ostentatione facto Regi satis fieret. Simul Romam mittitur Paulus Sajonschovius, de frangendâ Moschi potentiâ cum Pontifice acturus. De bello in eundem suscipièdo cum Polonis suis consultaturus Bathor, Varsoviam indicit in annum sequentem comitia. Interea per Borissium Savam & Vilhelmum Platerum Duneburgum recipit, qui officii & comitatus specie, missa ad Moschos commeatus penuriâ laborantes, vini ut vocant adusti amphorâ, inde ad ebrietatem bibituros præsidarios conjectabant, quod etiam evenit, noctu scalis admotis ebrios adorti loco pepulerunt. In extorquendâ eisdem Vendâ, junctis consiliis armisque Sveones ac Poloni, dolo rustici cujusdam ex Lotfinnis, fabrilis artis perito, non parum adjuti sunt. Hic sororem Vendæ sub Russorum potestate habuit. Hujus visendæ & rusticorum commerciorum liberè exercendorum specie urbem sapius adiens, opportunitatem nactus, ceræ formam clavium oppidi impressit, ad ejusque exemplar

emplar aliis paratis, festo Moschis die, cum suæ gentis doli intra urbem conscisci aliis, Sveonibus ac Polonis ad præstitutam diem eò tendentibus portas pandit, qui sex illic Russorum millibus deletis, præter commeatus armorumque insignem copiam, etiam XXIV. majores machinas bellicas, sollertiæ præmium habuere. Legati interea, quos Bathor ad Russos misit Moschuam pervenere; quos Magnus Dux, & suo ingenio ferox, & Livonicis successibus superbus, contumeliis ludibriisque exceptos habuit indignissimè, in nomen Polonicum ac Lithuanicum debacchatus peracerbè. Cumque ex veteri gentis utriusque instituto, lautia hinc inde missis Legatis præberi esset solita, ac emi ad victum necessaria nec moris sit, nec si velint, in Muschovia possint Legati exterarum gentium, non nisi vilissima ac prorsus sordida esculenta eis subministrari fecit. Tandem, cum de triennialibus induciis in colloquio inter eos convenisset, etiam eà in re foedâ fraude uti non erubuit. Codicillos eà de re confectos, quos Legati obsignare debebant, sine ullâ conditione perscribi iussit. Quos verò Legatis traditurus erat suo sigillo impressos, his adjectis subdit induciarum conditionibus, ut universam Livoniam ac Curlandiam, & quicquid intra fines continetur Borussiæ Bathor ipsi cederet. Livonum nullum, opem ac præsidium ejus implorantem, ac nec civitatem ullam juvaret, aut in fidem reciperet. Cumque ex more, induciarum leges, in quas consenserant, Sacramenti religione esset firmaturus, iis subductis, in quas Legati prius juraverant, in substitutas à se juramento se obstringit, atque ita Legatos non amplius ad colloquium admissos, contumeliose dimisit. Eà indignitate motus Bathor, Georgium Haraburdam confestim ad Moschum misit, ostensurum, non aliter iis induciis teneri velle Regem suum, quam si de Livoniâ conditioni, quæ nec à Legatis accepta esset, renunciaret. Moschus, retento Haraburdâ, Legatos ad Regem misit, qui ad rata habenda pacta induciarum, ac jurejurando confirmanda eum adducerent. Simul ad recipiendam vi Vendam majores quam ante emisit copias. Legati Cracoviae conventuri Regem, fastu insolito negârunt se verbo illum compellaturos, nisi ipse prius aperto capite adsurgens, de valitudine & statu sciscitaretur ipsorum Principis. Id Moscho moris est, cum aliorum Principum Legatos excipit, ad quod faciendum & alios Reges per Legatos superbè voluit adigere. Sed Stephanus, erecti alti que animi Princeps,

præter rei indignitatem, minime committendum ratus, ut ad hostis Barbari, & non ferendos spiritus sibi sumentis arrogantiam obsequio suo quicquam adderet, conditionem respuit; cumque illi in sententiâ persisterent, inauditi dimissi, & re infectâ lentis itineribus per Lithuaniam domum remissi sunt. Ante ipsorum reditum, nec Hara-burdæ in Poloniam reverti permissum fuit. Interea, copiæ Moschi Vendam recepturæ, eò penetraverunt, ductoribus quatuor præcipuæ dignitatis Palatinis, Petro Tatovo, Basilio Voronschio, Petro Chorossino & Andrea Scholcanovio. Hi per dies aliquot frustra urbem oppugnantes, Svecis ac Polonis consilia armaque jungendi spatium dederunt. Georgius scilicet Boje Svedicæ militiæ Præfectus, & Andreas Sapiha, Polonicarum, quæ tum in Livoniâ erant, copiarum Legatus, Stropam conveniunt, illic accito ad arma socianda Matthia Dembinio, & ex Livonibus Buringio, Korffio, Platero, & nonnullis aliis, ad Goviam flumen, medio inter Volmariam & Vendam loco, jungunt copias, instructaque acie, & præmissis exploratoribus, sub signis ad Vendam expectantem hostem adoriuntur. Ad communes ulciscendas injurias, avertendamque ab obsessis perniciem, Sveones, Poloni, Lithuani, Livonesque, ad virtutem se mutuò cohortati, acerrimè cient pugnam, & post vehementem aliquot horarum dimicationem, hostium equitatum pellunt, Tataris se quam maximè in fugam conjicientibus. Sub noctem Palatini militem ex fugâ retractum castris continere studuerunt, hortarique coeperunt, ut pro gloriâ gentis, tuendaque juratæ in suum Principem fidei integritate mori mallent, quam toties captam terram, traditumque sibi omnem belli apparatus cum æternâ nominis labe, hosti prodere. Sed augente periculo nocteque metum, eademque flagitium ac pudorem tegente, cum Chorossino & Scholcanovio Palatinis equitatus in fugam se dedit effusissimè. Reliqui duo, insigniora fidei suæ tradita tormenta amplexi, quasi ea defensuri ad supremum spiritum, summo mane intra septa munitionesque suas deprehensi, captis castris tormentisque XXX, in manus victorum vivi pervenere. Erant tormentorum majora insignita unum lupi, alterum accipitris, virginum duo, totidem falconum imaginibus ac nomine: quædam etiam nostris prius adempta, Regum Regni que impressis insignibus noscitantur. Horum onerandorum explodendorumque munus gerentes, testaturi invictam in suum Prin-

cipem fidem, funibus, quos more gentis ad os tubi singulis tormentis in terram depressis, in ductâ ante fossâ ipsi delitescerent, aptaverant, jugulo insertis, ultrò sibi mortem consciverant. In omen rei feliciter porro gerendâ accepta hæc hostium jactura; quam Moschus, conscriptis mox aliis copiis, constatisque novis tormentis sarcivit, ad potentiam ostentandam pertinere ratus, si, quod sibi à fortunâ ademptum videretur, brevi à facultatibus suis, vel cum insigni accessione, posset expleri.

Sequente anno Novogorodensem & Plefchoviensem Ducatum *Anno 1579.* vastaverunt Sveones, complures naves pretiosis mercibus onustas ad Narvam intercipientes, quas Benedictus Severini Svecicæ tum classis Præfectus Revaliam & Holmiam perduxit. Magna tum clades illata Moschis ad Narvam, suburbio & Jamagorodiâ funditus exustis, & plurimis Russorum cæsis: Sed quò minus urbs caperetur, obstitit anni tempestas, imbris infesta militi ac jumentis, bellicarum quoque machinarum & commeatus penuria, ita ut fame solâ mille quingenti in castris contabuerint. Johannes etiam Erici de Brinkala Reveliâ egressus cum validâ præfidiariorum manu, quicquid agrorum inter Narvam & Novam Arcem, nostris Ny Slott dictam, jacet, ferro igneque vastavit, nec sacræ nec profanæ rei ulli parcens. Templis quippe ornamenta detrahens, campanas quoque & reliquam sacram suppellectilem avehens, villis pagisque exustis, pecoris, ceræ aliarumque rerum locupletem prædam abduxit. Prope hujus anni finem, in comitiis Varsoviensibus bellum adversus Moschum decretum est; & sub initium sequentis, Stephanus Rex Basilium Lopatinscium justum *Anno 1580.* ei bellum denunciaturum misit. Causæ additæ: quod induciarum ostentatione Livoniam sibi deditam ferro ac incendiis vastasset: Legatis suis contumeliosè habitis, ad extremum duplici confecto induciarum instrumento imposuisset: eodemque tempore novo in Livoniam misso exercitu Vendam oppugnasset: suâ legatione novam ad priores injurias contumeliam ac ludibrium adjunxisset. Simul in Sveciam Vilmâ mittit Laurentium Goslicium, ostensurum, arma jam in Moschum induisse Regem suum, adjuncturumque preces, ut idem in eundem facere velit Rex Sveoniæ, infestareque terras ab antiquo ditionis Russicæ, armis autem abstinere à suæ spei destinatâ Livoniâ. Respondit ad ista Rex, daturum operam, ut, quâ posset ratione, rebus

Moschi obsisteret. Nolle autem sibi quicquam præscribi, quâ parte aut quibus locis adversa ei signa immitteret. Mansura verò cuique propria, quæ adfinium Regum singuli sibi armis adfererent. Neuter tandem Regum seorsum in rem suam cum Moscho pacem faceret. In has conditiones utrinque conventum est. Mox Johannes Rex, vix dum finitis comitiis Varsoviensibus, quibus partibus sequenti anno in Moschos bellum gesturus esset Stephanus, per literas certior fieri petiit. Polonus, quod ante ad hoc bellum se mutuo cohortati essent, pro arctissimâ necessitudine minimè celanda ei sua consilia ducens, Pleſchoviam se oppugnaturum rescripsit. Quod consilium, imprudentiâ Vincentii Cosaccorum Polono militantium Ducis, svasu Magistratum Vilnensis urbis, transfugium ad Moschos simulantis, cum ad Legatos Moschoviticos similiter dimanâset, illi eâ de re suum Principem maturè per literas, latore eodem Vincentio, monentes, ut magno esset animo hortati, exiguas omninò copias à Rege cogi, & mortuo ejus fratre Christophoro, Transylvaniae res præsentiam ejus haud dubiè desideraturas, maximè cum Turca eis bellum minitari diceretur, & bello propterea in ipsum minus vacaturum Regem, pro certo nunciârunt. Sic persuasus Moschus, Pleſchoviam belli scopum futuram Polonis, eam omnibus rebus firmandam sibi statuit. Confestimque muros vetustate neglectos magnis operibus reficit, novas ad priores munitiones erigit, præsidia ex aliis arcibus omnibus, etiam Ingriae ac Livoniae, detracta, unum hunc in locum cogit: Quæ res, & hoc & sequenti anno, ut Sveonum iis locis adversus Moschum conatus non parum promovit; ita Polonorum ad Pleſchoviam valdè elusit. Sed illa post acciderunt, utcumque consiliorum eventuumque connexam seriem, hic simul obiter in antecessum dare voluerimus. Nunc Stephanus Rex, ad continuandum in Moschos bellum Vilnâ mense Junio profectus, lentis itineribus, ut copiæ facilius possent subsequi, mense Julio Vitebsium ad Dunam pervenit. Inde ad Velicho-Lucanam obsidionem tendens, Velisium & Usujatam arces, ne quid rebus suis infestum à tergo relinqueret, expugnavit. Velicholucam urbem amplam, & emporium apud illas gentes percelebre, præfidiarii milites in arce paulò ante incendio deleverant: Arcem igitur solam ineunte Septembri Rex tormentis quassatam, globisque igneis in ligneas illius munitiones vibratis incensam in suam potestatem redegit. Vicinas etiam

etiam arces Nevelam, duodecim inde milliariibus Polociam versus distantem per Bornemissam Ungarum, Savolotiam per Zamoiscium Cellularium vi cepit. His expeditis Vilnam cum copiis reversus est. Sed dum in eo erat, ut loca quæ diximus caperet, crebris Moschi literis nunciisque compellabatur, ut reducto intra Polonicas terras exercitu, cum venturis eò Legatis ejus de pace agere vellet. Atqui cum hæc absurdè nec seriò, sed ludificandi sui causa peti Polonus sapius perspiceret, rejecto hostis dissimulato per legationes dolo, quos diximus, fecit progressus, præsidiaque captorum locorum aut concidit, aut cepit, aut armis rebusque nudatos per viarum ambages Moschuam remisit, attritumque variis cladibus eò adegit, ut missis Legatis, post longas solemnesque isti genti tergiversationes ac moras, Narvam, Neuschlossium, Dorpatum, Adseviium, Novogrodecum Livonicum, Germanis Neuhaus dictum, Veisensteinium item, Felinium Parnoviamque sibi retinens, quicquid superesset Livoniæ Regi possidendum offerret. Sed dum constanter urisit Rex, ut, quæ pro se exceperat, pariter cederet, quadringenta millia aureorum ad compensandos sumptus moti ab ipso temerè belli daret, Sebisiium quoque Polonicæ ditionis occupatam arcem aut redderet aut deleret, quod ipse in Moschici soli à se suscitato munimento Drissa etiam ultrò faceret, adfertur nuncius, post longos arthritidis dolores diem obiisse Christophorum fratrem Regis Transylvaniæ Principem, quam rem Moschus, ut diximus, arbitratus daturam sibi sui colligendi spatium, ut à conditionibus paulò ante oblatis resiliret, impulit. Neque parum eò contulit, quod eodem tempore Legati, quos ad Rudolphum Cæsarem Romanumque Pontificem Moschus antè miserat, oblatum illi auxilia in Turcam, huic insuper simulata in Romanam sedem obsequia, post longos renisus osculati pedes Pontificis, Pontificio Legato Antonio Possævino Jesuivici Ordinis Sacerdote comitati, per Germaniam tendentes, Lubecam pervenerint. Hi occultè apud Pontificem de injuriis Regis quæsti, dubiâ relictâ spe submittendi Græcæ sectæ ritus ac decreta Purpurati Collegii arbitriis, pervicerunt, ut conciliandæ inter bellantes Paci, suas partes interponeret. Visus Possævini rei utriusque conficiendæ faber idoneus, Legatos secuturus in Moschoviam. Hic, Moschis per regias ditiones itinere intercluso, de Legatione suâ Regem scripto certiozem faciens, per Poloniam & Lithuaniam permissu

ejus sibi tutum dari iter petiit Moschuam. Non ei tantum, sed Legatis etiam id integrum fecit Polonus per literas. Sed illi, sive non fidentes promissis inimici Regis, sive non ausi, injussu sui Principis, uti beneficio, Lubecâ solventes, per Narvam reverterunt in Moschoviam, devitatis Sveonum terrâ marique intercipere studentium insidiis. Sed Possëvinus, præcipuus Pacis inter Polonum Moschumque sequester, post vexatam sequenti anno Poloni armis Pleschoviam, infecto Græcæ religionis apud Moschos Romanâ mutandæ negotio, frustra etiam aliquamdiu tentatis per notos dolos Sveonibus ac Livis, ad sua suosque spei irritus tandem revertit. Hæc fusiùs ab aliis tradita compendio referre placuit, ad abolendam Polonicorum scriptorum nostris motam invidiam, quasi nostrâ non ipsorummet Polonorum culpâ acciderit, quod expeditionum suarum fructu, restitutis Moscho quæ ceperant, caruerint, quum præter causas jam dictas, imputare spei suæ frustrationem etiam debuerint bellicarum impensarum difficultati, quas ex tributis per comitia decretis, vix nisi post longas moras agendi opportunitatem corrumpentes, habere Rex poterat, & illarum pendendarum, & partorum tuendorum onus sustinere detrectantibus Polonis Lithuanisque, actionesque fortissimi ac prudentissimi Regis longè secus quam meruerat interpretantibus, quod fieri necessum est, cum reverentia Majestatis excessit animis Primorum jussa Principis proximè capessentium.

In Sveciâ, sub initium hujus, in quò adhuc moramur, anni, nimirum mensis Januarii die quartadecimâ, Rex Johannes Ponto filiam suam naturalem Sophiam Gyldenhielmiam, inter aulicas Reginae virgines præcipuam, in arce Vadstenensi decente cum pompâ elocavit, additâ dote non contemnendâ, quam postmodum, ob insignia Ponti in se Regnumque merita, fratre Sophiæ Julio, Sororeque Lucretia Gyldenhielmiis maturè ante nuptias præmortuis, non uno modo auxit, ut dicemus forsan postea. Non adèò multis mensibus ejus geniali thori lætitiæ permissis, Johannes Rex, gratiâ apud se incluti, strenui atque impigri viri operâ porrò usus, vigesimâ quartâ ac proximis diebus mensis Augusti, novis eum mandatis instruit, jubens, ut, summi Militiæ Præfecti titulo, adjunctis ipsi consilio manuque promptis viris Hermanno Flemming de Vilnæs, Georgio Boje de Gennæs, & Carolo Henrici Hornjo de Hapeniemi, quicquid equitatus peditatusque esset

per

per universam Finlandiam, propinquasque Sveciæ Regno adjectas terras, secum ductum effunderet in terras juris Moschici, dataque latè strage vires infringeret, nec non additâ classe uteretur ad intercipientas naves Moscho Narvam allaturas necessaria, his duntaxat exceptis, quas Danici Regni cives, quibus hoc anno certis pactis, præter tamen voluntatem Regis, id indultum, & nominatim quidam Joachimus Scheel, Sveciæ tum militans, essent appulsuri, intactis tamen quas veherent mercibus, quas Regi ipsi, aut ab ipso deputatis certis hominibus, in manus deberet tradere. Ut militantium sibi promptiore fidaque magis uteretur operâ, pecuniarum, vestium commeatusque quantum satis Ponto fecit tradi, quibus refecti milites alacrioribus animis expeditionem suscipere. Peculiariter verò præcepit Rex, ut erectis novis munimentis juxta Nöteburgensem Narvensemque arces, subvectionem rerum necessariarum hosti impediret. Adhæc, ereptis hosti arcibus Rectores imponeret gente Svecos, aut Fennos, sanguine nobiles potissimum, si qui essent ad manum; bonaque fide tradita obeuntibus munera, stipendia auget, perfidis autem, signorumque desertoribus, ut & proditoribus locorum captorum, seditiosis item ac transfugis, ex militaris juris rigore irrogaret supplicia, ut adsertâ disciplinâ publicâ, cuncta optato sine succederent. Præter ea, loco gratuiti muneris, distribuendi inter milites, quatuor uncialium thalerorum, millia Ponto submitit, undè tamen nihil acciperent hi, qui capiendæ Kexholmenfis arcis periculo se subdixerunt. Si quid ex promissa stipe non dum persolutum esset, daretur primo vere, cum collectis interea per Finlandiam tributis, purgatoque glacie mari, nummorum eò plus posset transmitti. Dein, ligneas erigi munitiones ad communes Regnorum limites jubet in Finlandiâ ac Careliâ, quibus vis posset arceri ab hujus Regni civibus. Item, rura colentes in terris ditionis Moschicæ, potius ad firmandam juramentis fidem Regi Sveciæ, dandaque ei tributa, adigeret, quam tolleret è medio. Omnino autem vis omnis ac injuria abesse deberet à corporibus ac bonis ipsorum, qui se ritè huic Regno submitterent, præcipuè verò ab his, qui peculiari solitoque ei genti ritu, etiamsi à sacris penes nos receptis nonnusquam recederent, sexu utroque incolerent monasteria, quorum ornamenta, imagines, cæteramque sacram supellectilem intacta inviolataque eis linqui præcipit, secus quam factum hæctenus. Seorsum

sum autem exigit à Claudio Achatii Tott, Gubernatore Finlandiæ, ut in desolatam terram Rithamam novos colonos induceret. Post hæc jubet, ut quæ per literas in bonis soli tribuerat Germanici nominis quibusdam de se benè merentibus Equitum Magistris Enevaldo Feitag, Bernhardo de Gröningen, Joanni Koskull, Joanni Wachtmeister & Joanni Spengel in Satagundiâ & Tavaftiâ, suâ autoritate faceret illos quiete frui. Insuper, Italo cuidam Laurentio Cognolæ Capitaneo & Aulæ suæ nobili, in territorio Aboënsi tradi jubet decem prædia rustica, in pignus, ob erogata in usus Regis tria solidorum uncialium millia. Tandem submonet per literas, ut commissis sibi negotiis omni fide ac curâ præsit. Cumque successu miro Rex Poloniæ utatur adversus Moschum secundioris Fortunæ aurâ destitutum, certumque sit, captâ Pleschoviâ adoriturum Novogardiam, cujus arcem cælo tactam non diu ante incendium deleverat, jubet, ut prior eum locum oppugnet ac capiat, quò fieri iterum possit, ut dudum ante fuerat, juris Svetici. Acceptorum Mandatorum fideique Regi datæ memor Pontus, Carelogorodiam seu Kexholmiam Careliæ metropolin & arcem munitissimam, igniferis globis succensam, sub gradu latitudinis LXVII, Longitudinis LXXII. sitam, stratis Ruthenorum duobus millibus, cum subjectâ omni provinciâ, die IV. Novembris, imperio Sveonum subdidit, quò quò factum minore suorum sanguinis impendio, hoc Regi accidit gratius, sic quidem, ut solemnibus ad Pontum cæterosque Duces ac milites literis die IX. mensis Decembris, ipse id testatus sit, utcunque non probârit, quod, privato ausu, sculptas pictasque tabulas aris impositas, stolasque, quibus sacra peracturi sacerdotes amiciuntur, templo arcis Kexholmensis detractas, nonnulli in vicinam Finlandiam, ad earum, in quibus habitârunt, parœciarum, templa iis exornanda, avehi curaverint, quas reductas in sacrario templi arcis Viburgensis locari præcepit, donec ipse de eis aliter constitueret: interminatione mortis prohibens, ne quis Regno se submitteus ex hostibus, ulla adficeretur injuria, aut horum devictorum templis ac monasteriis ulla vel minima vis fieret. Arci verò Kexholmensi, subjectæque ei provinciæ tutandæ regendæque præfici voluit Georgium Boje, virum illustrem ac strenuum, peritumque istarum artium, quibus sibi obsequia pararet civium militumque. Adhæc, relatu Arvidi Erici Kurckii se didicisse scribit Rex, ligneum munimentum in

Septentrionali parte Careliæ, non procul ab iis locis, quò naves circuita Norvegiâ appellere soliti cum Russis commercantes Batavi Anglique, ante tres annos exstruxisse, eiqve adtribuissè bonam partem Careliæ, id, ut integram sibi provinciam adserere posset Svecia, operâ Hermanni Flemmingii, exuri jussit ac dirui, eiqve cum validâ militum manu è Botnia Septentrionali in occursum venire Sivardum Jacobi & Joannem Garp, nec non è Savolaxiâ & Euripensi territorio, ad reprimendam vim, si qua se destinatis opponeret, rusticorum quam maximum posset numerum Pontus adsumeret. Qvi Sveonum Revaliam tenuerunt, circa exitum hujus anni, Padisium, sex miliaribus ab urbe sejunctum, totidemque mensibus arctè obsessum, domitumque fame, pulsus stratisque qvi occupaverant, receperunt.

Sub novi anni auspiciam, Petrum quendam Jonæ Svecum, antehac Moschici sermonis interpretem, constituit Rex Prætorem Careliæ per loca Kexholmensi arci proxima, cum potestate exigendi ab incolis tributa Moscho hætenus pendi solita, arcendiqve ab eisdem, cujuscunqve sint conditionis, ordinis, sexus ætatisve, omnem vim ac injuriam. Præter hunc, hujusdem muneris alios tres, sub moderamine Georgii Boje, constituit Rex per hanc provinciam. Simul eduntur nova mandata ad Pontum, de adhibendâ fide & diligentia in adimendis Moscho arcibus ac munimentis pluribus, pollicente Rege gratiam remunerationemqve amplam ipsi ac omnibus cæteris, spem sui Regis non frustrantibus, præter pecuniam, vestes, comæatum, nova supplementa militum, arma, & cætera bello necessaria. Seorsim etiam injunctum Ponto, ut sermonis peritum aliquem, armatis nonnullis stipatum, peragrarè faceret subactam nuper provinciam, summâ diligentia exqvisturum, qvi ejus ab omni parte limites, quæ longitudo ac latitudo, quæ oppida, munimenta, templa, monasteria, quæ per agros sparsæ rucolarum parœciæ, & singularum Moschico sermone nomina, quot nobiles, quot plebeji provinciam incolant, quæ passim insigniores sylvæ, ferarum venationes, lacus, fluvii, & hujus generis alia, quæ ad penitiorè cumprimis faciant terræ notitiam. Hæc & hujus sententiæ plura diversis ad Pontum literis Rex ingeminat, plenus fiducia, non neglecturum eum occasionem ullam, pro præsentium rerum facie, consulendi commodis Sveciæ, & invigilandi damnis Moschi, fidem ejus sociorumqve largâ se remuneraturum mercede passim polli-

Anno 1581.

citus. Ad impediendam exteris navigationem Narvicam, ex lapide & cespite, ad utramque fluvii urbem perluentis ripam, erigi jubet munimenta, quibus imponi possint navium ingressum prohibitori milites præfidiarii. Ad intercipiendum Nöteburgum, militum rusticorumque è Fennis manu castrum id obsideri voluit, quâ parte per terram daretur aditus. Ad intercipiendas per fluvium præterlabentem subvectiones, conquiritis in lacu Ladoga navibus, impositoque milite, & campestribus machinis circumdari jussit ac quati, ut si non aliter, vel fame tandem domaretur. Ad capiendam Novogardiam, undè aliò avexerat majora tormenta bellica Moschus metu Sveonum, cingi eam jussit coronâ militum, quassarique Revaliâ accitis machinis muralibus, quarum aliquas simul cum comœatu eodem agi possent per fluvium allabentem Nöteburgum, nequicquam impedituro subvectionem obfesso castris præsidio. Calendis Junii Henrico Kurfel pro Jacke vald, cum ei adtributis prædiis & molis farinariis, arci Revaliensi jam restituendis, alia soli bona in Vesenbergenfi territorio ejusdem annui reditus jussit Rex tradi: aliisque literis Holmiæ datis die mensis ejusdem XXVI. Pontus revocatur in patriam, curâ rei bellicæ interim delegatâ Hermannò Flemming & Georgio Boje. Eodem mense Holmiæ Regem invisit Pontus, novisque mandatis instructus, ac copiis in naves impositis, majoribus quam ante succinctus viribus, etiâ auctus die V. mensis Julii novo supremi per Ingriam ac Livoniam Gubernatoris titulo ac munere, loca priora repetiit. Abeunti verò præcepit Rex ante omnia, ut si prono favore Numinis destinata succederent, hominibus Ecclesiasticis, utpote Sacerdotibus, Monachis, Sanctimonialibus, etiâ fœminis, pueris, senioque confectis parceretur, locis etiâ sacris, si posset fieri, imò armatis etiam, si abjecto pugnandi studio, victoris elementis semet permitterent. Sic constitutis rebus,

d. 4. Martii. in Livoniâ quidem, oppidum Vesenberga, & arx monti imposita, Moschis incolumitatem vitæ & rerum, quas efferre secum possent, pactis,

d. 8. Martii. Ponto deditur, & quarto die post Tolsburgum, tertio inde milliari,

med. m. Jun. portu non incommodo ad mare positum. Ducatus Novogardiensis agro latè immissa vastitas, exusto Sormax oppido. Æstate proximâ, dum in Sveciam, Rege jubente, excurrit Pontus, & Polonia Rex ad Plefchoviam obsessam hæret, ut diximus, Sveones, forti ductore Carolo Henrici Hornio Revaliâ egresso, totam provinciam Vichiam, longam

gam milliaria XII, latam decem, à Moscho recuperant. Lodensi ar- *d. 22. Julii.*
 ce egregiè munità, sed idoneo præsidio destitutà, in quartum diem,
 obsessa potiuntur sine magnà molestià. Præfectus arcis, redire ad
 Moschum non ausus, cum omni familià se dedens, concessit in Sveci-
 am. Tot cladium nuncio percussis Russi, impositi custodiæ arcis Vi-
 ckel, subdito igne ardentem reliquerunt Svecis, effusiqve in fugam,
 Pernoviam se cursu contulerunt, quos Svecicorum equitum ala præ-
 vertens in itinere, non procul à Pernovià concidit. Eodem Fortunæ *d. 27. Julii.*
 adflatu usi Sveones, Lehaliam se contulerunt, cujus portam catapultis
 diffractam candentibus globis succenderunt. Per anni temperi-
 em fudo calenteqve quam maximè cœlo, ignis proximarum ædium,
 aridam materiam corripiciens, ita latè sparsit incendium, ut allabenti-
 bus simul, ut fit, ventis, extingvi neqverit. Itaqve concessa Russis
 petentibus discedendi venià, arx deditur. Hapsaliensem metropolin
 Sveci machinis concutere cœperunt: quos fortiter ab initio repule-
 re Moschi, explosis è muro tormentis, sternentes obsidentium cen-
 tum. Ad postremum tamen retinendæ arcis validissimæ spe amissa,
 obtentaqve facultate redeundi in Muschoviam, deditam tradunt vi- *d. 9. Augusti.*
 ctoribus. Novis supplementis militum, classe commeatuqve instru-
 ctior è Svecià reversus Pontus, omnes vires ad Narvam occupandam,
 comparavit: unde tanquam è promptuario, exterarum gentium huc
 congesta belli in Svecos trahendi sufflaminandiqve instrumenta, Russi
 hæcenus petiverunt. Obsessam eam tenere per dierum aliquot
 hebdomadas Pontus, Hermannus Flemmingius, & Carolus Henrici
 Hornius, & per tres solidos dies interdium noctuqve viginti quatuor
 majoribus machinis quassatæ murorum bonam partem dejecere, per
 cujus ruinas inducto milite, cui, ex voluntate Regis, per horas vigin-
 ti quatuor urbis diripiendæ potestatem fecere, sic tamen, ut a sacris
 publicisqve locis, ni reos se mortis vellent, cohiberent manus, & à
 fœminarum corporibus libidinem. Direptionis promisso, velut co-
 te fortitudinis, exstimulatus miles, vitam prædæ postponens, summa-
 que virtute irruens, quinque, vel ut alii, septem Russorum millibus
 prostratis, in Regis sui potestatem urbem redegit. Decimo die post, *d. 6. Septemb.*
 Russicam Narvam, cum adposità arce, fluvio à priore diremptam, eo
 intervallo, ut telum ab unâ in alteram posset conjici, certis legibus
 deditam, in fidem sui Regis Pontus accepit. In eâ hominum fuere *d. 16. Sept.*
 millia

millia sex, præter præfidiariorum cladi superstitum millia duo, inter quos non pauci nobiles, quos Bajoras ac Knesios appellant, quorum è numero Affanasius Bielsky Sveciæ se subdens, sequentique anno Holmiam veniens, superandi Nöteburgi consilio patefacto reliquis notior. Oppidum id ad Velicam flumen situm, quo loco lacum Peipin, Pelbam Poloni vocant, inquit, mutato in Narvam nomine, oppido à se appellato, triginta circiter infra id passuum millibus, in Balticum se exonerat, eâ magnitudine alvei, ut ad urbem ipsam maximas onerarias naves admittat, eademque ulterius Plešchoviam non incommodè agi possint, nisi supra lacum Plešchoviam versus viginti circiter cubitos altæ cataractæ propius adigi vetarent: quas tamen superari foret facillimum, si per prærupta & veluti Catadupa labentium aquarum atollere demittereque maximi oneris naves muratis oppletisque aquâ alveis quibusdam didicissent accolæ, cujus peritiâ cum primis cluent Itali, quod Venetiis Patavium ultrò citroque euntes, pluribus in Pado seu Eridano locis olim conspeximus. Dum in Teutonici Ordinis Magistrorum, quì quondam Livoniæ Principes, potestate erat, propterea quod omnes merces Russicæ Dorpatum primò devehebantur, & deinde per Revaliam vel Pernoviam ad mare, minus cultoribus frequens, ac nec satis munitum fuit. Postea Johannes Basilides hujus temporis Magnus Moschorum Dux, in adversa ripa aliud multò munitius appositâ arce condidit, Ivanogorodiam à se vocans, cui Livones Narvæ Russicæ nomen dederunt, ad discrimen suæ, quam Germanicæ nomine designari postmodum usu invaluit. Tam propinquo autem positum est oppidum utrumque loco, ut novum cum veteri ponte sit junctum, & utrumque alteri sit præsidio. Mox enim, suâ Narvâ conditâ, potius & alterâ, Germanis aliisque ultra Balticum positis populis, mercium suarum esse voluit emporium. Ad famam obsidendæ per Polonos Plešchoviæ, ex hac Moschus, ut multis aliis sui tum juris arcibus, ad obsessos tuendos, evocavit præsidiorum partem non exiguam, quâ nudatæ, opportuniore redditæ molitionibus hostium. Ponto Livonicam oppugnante, ex Russicâ per pontem in eandem transiverunt, Russi, ductis simul eò, ut defenderent, tormentis plerisque bellicis, quæ irruente Ponto, in tantâ festinatione consternationeque mentium, ad Russicam protegendam reduci non potuerunt, ac nec ipsi per pontem unde venerant regredi, plerique hostium ferro confecti in eâ, quam pri-

primùm victores occupavere. Pauci illi, qui in suam arcem cladi superstites fugâ evasere, suorum strage exterriti, orbatique tormentis, quæ in captâ primùm urbe coacti relinquere, desperantes de omni aliâ salutis expediendæ ratione, pacti incolumitatem, se suamque Ivanogorodiam cum arce victoris arbitrio submittere. Hæc jactura Moscho adeò gravis exstitit, non amisso tantum nobilissimo Arctoæ plagæ emporio, sed præcluso quoque omni in posterum ad mare hoc nostrum aditu. Sanè, deditâ arce Moschoviam suam repetituri, cum ducerentur per victoris exercitus porrectos Ordines, sive odio ejus, sive pudore sui, neminem intueri sustinentes, fixis in cœlum terramve oculis, cruce signârunt vultum ac humeros. Eodem Fortunæ impetu velut torrente, ademptæ Moscho Jamagorodia, Coporium & Neuschlossium, cum adpositis haud sterilis glebæ provinciis. His rebus perfectis in Ingridiâ, ad extorquendas Moscho quas adhuc in penitioribus Livoniâ tenuit arces, exercitum Pontus reduxit. Primo aggressu Veisensteiniûm castrum, alioquin naturâ ac opere munitissimum, in eâ Moschorum trepidatione, & multis Plechoviam evocatis, præsidiariorum paucitate, nullâ alicundè adfulgente spe auxilii, Ponto se dedit. Inde Pernoviæ admovit exercitum. Felices hos successus æquo animo Polonus non tulit, se ad Plechoviam belli pericula sustinentem, Sveones victoriæ fructum decerpere conquerens. Eò enim spectârunt ejus illa: Dum nos hic plagas & retia tendimus, illi pingves apros capiunt. Appetente jam hyeme, militem in hyberna dimittere Pontus constituerat. Certior verò factus, nitrati pulveris & plumbearum glandium inopiâ laborare castra Polonica, Farensbeckii quoque militem inediâ & frigore confici, vi fœderis occurrendum his difficultatibus arbitratus, opem adversus istas obtulit, dimittendumque aliàs in hyberna militem missurum promisit auxilio. Sed illi stolidè invidi, carere victoriâ maluerunt, quam sociis id debere beneficii. Superiores urbisque compotes futuri fuissent haud dubiè, nisi superbe sprevisent oblata auxilia. Natu major Moschi filius cum viginti armatorum millibus urbem tenuit, cui tantæque multitudini diu jam obsessis, cum fieri res arctiores occiperent, pater cum rebus necessariis auxiliares misit copias, quas missis in occursum cohortibus validis, supervenientibus etiam simul Tatarorum turmis ferocissimis, Polonus prope universas delevit. Sanè, ita constitutis utrinque rebus,

Anno 1582.

Poloni, nisi benignam nostrorum respuissent operam, in propinqua spe fuissent victoriae, quod nec auribus animisque obsidentium ingere omisit militiae ipsorum post Regem Dux summus Zamoiscius, quem etiam convitiis eò adegere, ut accederet sententiae eorum, qui qualemcunque cum Moscho pacem, belli oneribus, & parta tuendi necessitati anteferendam censuere. Quò Lithuanos ceterosque suis consiliis haud segniter impulit Possevinus Romanae Sedis Legatus, jam ante fide Moscho data, successurum pacis negotium, operam suam, auctoritate Pontificis, cui illi vicissim sua venditarunt obsequia, verbis ante pacis beneficium ambigua, post, opere ipso nulla, ne in centesimum. quidem annum, postquam haec pax coaluit, quo nos haec scripsimus. Sed Moscho magis quam Polono pax haec profuit. Ille enim quotquot loca bello amisit, pace recuperavit: Hic, redditus quae magno conatu sumptuque ceperat, & laboris & impensarum fructum perdidit: & pro arcibus ac oppidis, quae victoria in sinum data, non ambiguo bellorum jure, ei fecit propria, alienam victoriam pariter alieni juris facta voluit recipere, quod erat umbram amplecti loco corporis. Sed & Divina Nemesis sterilem Polonis voluit victoriam. Cum enim adversus foederis leges, in fraudem alterius, neutra pars pacem factura esset communi cum hoste, injustum erat excludi socios Sveones, quos maximis beneficiis gratiam, nullis injuriis Polonorum meruisse constat aut odium aut invidiam. Quod dicunt, non aliter consensurum fuisse Moschum in pacem, frivolum est. Eo enim erat tum rerum statu, ut tot duorum simul hostium clarissimis victoriis, ad quamvis, etiam duriorum pacem, potuisset adigi. Excluserit itaque à pacis bono socios, non necessitas, sed invidia. Nec, jure suo usos Sveones, censere convenit, Polonis fecisse injuriam. A Livonia occupanda nulla lex, nullum jus, nulla pactio Svecos depulit. Hosti salvo iniquoque sua bello justo adimere, quae lex vetat, quod jus prohibet? Sed nec pactio ulla obstitit. Illa quippe sine ulla exceptione temporis aut loci, ea sociorum utriusque agere permisit, ubique & quoties commodum, quae diram hostis immanitatem quovis modo possent compescere. Petiit tamen Polonus ab amico adfinesque Rege, ut à spei suae destinata Livonia abstineret, & Fennis suis propiora hosti decerneret. Sed numquid petitio Poloni, absque adfensu Sveci, jus ei peperit, huic ademit? Quid si censuit Svecus, ut omnino fecit, petitionem illam

illam iniquam, numquid propterea non licuit abnuere? Iniqua autem fuit vel his nominibus, quod septem annis prius Svecus quam Polonus belli molens solus sustinuit, atque à Livis se suaque submittentibus sollicitatus, comite, armis ac milite, & sæpe, & largiter, juvit. Atque ita se submittentes juvit, ut ad id faciendum illi habuerint mandata. Caroli, Ferdinandi, Maximiliani, Germanicorum Cæsarum, sub quorum dominio supremo, inde ab initio, usque in ea tempora, & terra ipsa, & Magistri Teutonici Ordinis vixerant, quæ nullum pro Polono exstat editum. Quod autem Kettlerus horum ultimus, Polono quam Sveco se suaque dedita maluit, fecit arbitrato suo, non jussu cujusquam Cæsarum, sine quo pleni juris vix censenda deditio. Adhæc, quam antiquum fuerat Sveonibus jus in Livoniam, & quas nuper Poloni in fidem acceperant, Curlandiam ac Samogithiam, jam ante rationibus, quibus quid solidi haud facile opposueris, evicimus. Itaque Polono Livoniam cedi à Sveco, esse potuisset res amoris ac benivolentiæ, non poterat esse juris debiti ac necessarii, secus quam in hujus belli Historiâ visum Heidensteinio, sub cujus nomine latitare putat. Thuanus è Polonis virum summum Zamoiscium. Sed nec alterius sententiæ fuit Rex ipse Stephanus, qui hoc anno de Sveci in se Livoniâ occupatâ injuriis in Sveciam exoptulatum misit Legatî titulo, primum culinæ suæ Magistrum Dominicum Alemanni Italum, dein haud multò post Christophorum Varsevicium, quorum illum, pro muneris exilitate, velut in sui contumeliam missum, hunc pro legitimo Legato habuit Rex Sveciæ. Circa hujus anni initium promulgatâ pace, Polono-Moschica, superiore anno dedentem se Polono Rigam, hoc anno invisit Rex Stephanus, de cujus deditiois negotio, in nostra Regnorum Sveciæ ac Gothiæ Historiâ Ecclesiasticâ, quam adfectam habemus, agemus ex instituto, cum potiore sui parte tangat rem religionis ac ritus Ecclesiæ. Ex hoc loco in Sveciam ad Johannem Regem Legatos hos misit Rex Stephanus. Horum utriusque dederat in mandatis, ut à Johanne Rege reposcerent, quæ ipso Velicolucam & Plefchoviam oppugnante, à tergo (verba sunt Stephani Regis) ceperat in Livoniâ. Cum, præter ea, quæ antehac sui illic juris fuerant, Moschus recenti ad Zapolchiam pace, occupata olim à se omnia, nunc cesserit. Belli quoque inter ipsos in Moschum societas, non in alium trahenda sensum, quam ut Livonia sibi in præmium victoriæ esset

cessu.

cessura : quicquid autem ultra Narvam Moschus hæreditario antiquo jure possideret, armis pateret Sveonum. Et si non amori in adfinem Regem tributurus esset Johannes, saltem daret id æquitati, ut redditus à Stephano belli impensis, capta per Livoniam omnia, Narvam quoque in Ingriâ, ipsi traderet, ne qua simultatum offensarumque causa nasceretur inter ipsos, quos tam propinqua necessitudo svasdet vivere quam conjunctissimos. Se studuisse, Svecos includi pactioni pacis Zapolchianæ, sed renuisse omninò Moschum, cum quo maturari negotium pacis debuisset, ne plura adfinis Rex in Livoniâ suæ spei interciperet. Adhæc Regem monuit Varsevicius, ne se circumduci pateretur verbis promissisque Livonum gentis levis ac in horas mobilis. Præstare, ut junctis cum Polono armis omnes excindat, ut semel liberentur fluxæ fidei populo. Indignanter, ut debuit, ea tulit Johannes Rex, illicò voce ac literis respondens ad postulata iniquissima. Non à tergo, sed à fronte, non furtim, sed aperta virtute impugnasse Moschum, notæ diu in Regios cives crudelitatis. Nec nunc tandem, sed mox à fœderis initio, & verbis & scriptis, in quæ utrinque consenserant, significasse, communi hosti adempta, futura occupantium. Mansurum etiam utriusque sociorum integrum, quæ parte rebus hostium, possent vellentque officere. Ab hac pactionum formula ne latum unguem se discessisse uspiam. Non posse admittere, dum paciscerentur occultatos & tacitos, nunc, cum pactis quam maximè standum, excogitatos prolatosque tandem sensus fœderis. Agere se simpliciter ac candidè, nescire reconditas reservatorum artes usitatas Italis ac Hungaris. Non se admittere sensum, quem in rem suam, damnum focii, comminiscatur unus paciscentium. Abhorre animum, si mens à lingua discrepet in re ludicra, execrari in seriâ. Septem se annis sustinuisse crudelissimi hostis impetum, antequam arma in eundem, ob Livoniam, cepisset Polonia. Dum frater Ericus regnaret, primam Sveciæ se submississe Revaliam; ex quo tempore sanctè servata utrinque officia Patronorum ac clientium. Cæteris etiam Livonis sua Sveciæ dedentibus, nisi vis major quandoque obstitiflet, servata reciprocè fides integra. Quam si pauci quidam nonnusquam fefellissent, culpa istorum est, non omnium. Aliter fieri haud posse in communitatibus, ubi religione, moribus, studiisque multi disident. Nec solere Sveones, paucorum perfidiam plectere interneccione omnium.

Pœna fontem sequatur fas est: infontem sua tueatur innocentia. Perfidum foret, fidei suæ bonâ fide deditos deserere, Dominoque, quem nolint tradere. Et quî tradere, civesque alienæ Reipublicæ facere possemus, quos tantis impendiis hominum rerumque Svecia suis jam dudum adscripsit? Et quâ fronte reposcuntur belli jure à nostris capta in Livoniâ, & Narva in Ingriâ, quum de successu rerum istarum ad adfinem nobis Regem Narvâ Polociam scribente Ponto Delagardio, non tantum nihil de suo Polonorumve in ista jure rescripserit, sed de Fortunâ utrobique secundâ ei gratulatus etiam sit per literas? Adhæc, multò plura pro adserendâ ex Moschi sævâ libidine Livoniâ præstitisse Sveciam quam Poloniam constat, ut utrius in eandem jus æquus sit, arbitris æquis obscurum non sit. Nisi etiam Revalia cum portu, pro muro nobis fuisset à tergo, atque ipsi cum sociis opem tulissemus Vendæ, dudum omnis Livonia, culpâ Polonorum, migrâset in jus Moschi: pro quo tamen ingenti beneficio parum gratiæ relatam est, retentis in præsentem usque diem illic recuperatis Sveciæ tormentis bellicis, quam injuriam hætenus tulimus patienter, dissimulaturi autem neutiqvam in posterum. Occupâsse etiam Hapsaliam, Lehaliâ & Lodam, nemo æquus vertet probro, quum tot inde damnis à Moscho affecti, ferre diutius non debuerimus, ut hic nidularentur, immites illi vultures. Quod impensas omnes belli Poloni Svecis redditori sunt, nihili est. Æquius multò reddant primum centum viginti quatuor solidorum uncialium millia, quæ Sigismundo Augusto Regi Reipublicæque ipsorum ad belli necessarios usus in paratâ pecuniâ mutua dedimus. Reddant usuras impensasque, quas per annos viginti ad eas per nuncios & literas reposcendas, morâ solutionis coacti, toties fecimus. Reddant sex arces in Livoniâ, quas pignori ob eandem pecuniam nobis inscriptas, injustè detinent. Reddant dotem hæreditatemque conjugis, quas toridem annis pari injustitiâ denegant. Reddant legatum Socrus nostræ Reginæ Bonæ, & quæ in thesauris Ticunensibus Sigismundus Augustus nobis conjugique testamento relicta, contra omne jus ac fas retinent, præter alia multa ingentis pretii, quæ conjugii communibusque liberis omni jure competunt. Hæc antiqva nomina solutione expungi, quam novis debitis augeri, æquus fuerit. Et quo jure reposcuntur arces regionesque, quas non Regi adfini, nec Regno Poloniæ, sed communi hosti extorsimus? Cum

beneficia nostra gratitudine excipi sperâstemus, rependi animadvertimus minis ac injuriis, provinciasque maximis belli sumptibus & cruento Marte acquisitas, ab iis repeti, ad quos nunquam jure ullo aut pacto pertinuisse certum est. Quod nuperâ pace Polono cessisse, Russi feruntur universam Livoniam, vero simile non est, cum non diu ante, & hanc, & cætera cessione semel oblata, pertinaciter iterum retractaverint. Tum si verbis cessisse comperiuntur, ipsa re vanum id ac invalidum est, cum cedere tribuereve alteri nemo queat, quæ jure belli jam ante amiserat. Et quam multa sunt in Livoniâ, quæ nec armorum, nec ullo jure alio, ad Moschos unquam spectaverant? Inter quæ Vichia, diu ante subiecta Sveciæ, nec non Vittensteinium, cum adtributo territorio, cujus pleraque ante annos viginti pignoris loco nobis Poloni ipsi inscripserant, quæ nunc non verentur, tanquam à Moscho cessa, pari iniquitate reposcere. Sed ut Poloni nos non consulere de his quæ in Russiâ occupare, aut intacta relinquere decreverunt: ita nec nos ullâ lege obligamur, ad reddendas eis rationes de his, quæ in Livoniâ belli jure hosti erepta, aut nobis velimus retinere, aut aliis cedere. Quod hostilia minantur, pendere sciant à nostris minimo. Neque enim ignorare poterint, nos istis imperare populis, quos & olim nulla pericula deterruerunt, quin ad ulciscendas suas suorumque injurias, magnam orbis partem victores pervaserint, & adhuc eo sint animo, ut minas hostiles magno contemnant spiritu, additasque illis injurias, præfentes ferro ulciscantur vindice. Nobis ipsisque id animi, ut ne latum quidem pedem Polonis cessuri simus in Livoniâ, cum quæ illic justè riteque tenemus, tantis sumptibus, totque virorum fortium sanguine Sveciæ constiterint. Hæc ad Polonum Rex Sveciæ. Similia Regina Sveciæ rescripsit Polonia Regi, petenti, maritum Regem moneret, quæ in Livoniâ armis ceperat, Polonis reddere. Respondit enim, non posse se adfina Regi gratificari, nisi æquiora his, quæ petierat, postulet.

His in hunc modum utrinque disceptatis, ad nova excipienda, mandata, Pontus revocatur in Sveciam. Senescente Augusto, ineunteque Septembri conficiuntur edunturque illa Upsaliæ in hanc sententiam. Primum junguntur Ponto à consiliis Georgius Boje de Genæs, Carolus Henrici de Hapaniemi, Carolus Gustavi de Toftaholm, & Johannes Sparre de Berqvare, qui junctâ operâ, sub auspicio Regis, du-

Etu verò Ponti, arma Moschi repellerent, & conatus Poloni non satis jam amici, diligenter observarent. Dein, cum Fortuna res belli fere mutet in horas, nec quicquam ita præcipi possit, ut mutatis rebus, consilia non etiam debeant mutari, prudentiæ fideique horum commisit Rex, dispicere, quid ex usu securitateque esse posset patriæ, atque pro re natâ sic temperare consilia, ne ex decretis & commentariis omnia viderentur geri. Singulis annis susceptâ expeditione, conatum se ait Rex, per clades ad consilia pacis hostem flectere: non successisse tamen rem ex voto, dum latera tantum imperii peteret, itaque nunc ipsa viscera sibi invadenda censuit. Quare Imperii sui optimum instrumentum Pontum in Novogardiensem agrum exercitum iussit inducere, nec ferro tantum ac igne, sed ante hæc bonis etiam verbis ac pollicitationibus eò cives perducere, ut se urbemque Regi Sveonum velint dedere. Quam in rem uti deberet literis Regis, & ad Præfectum urbis pariter, atque quem Archimandriten Russi nuncupant, qui quasi Archiepiscopus quidam apud ipsos, eo argumento, hortari velint ad deditionem cives, in quos gravius nihil deberet consuli, nec conscientis aut fortunis ipsorum ulla vis fieri. Hos monitus præfractè spernentes, igne ferroque persequeretur. Ita autem consideret Novogardiam, ut non modicâ manu militum clausum teneret Nöteburgum: adque excludendas ab omni parte subvectiones militum, armorum ac commeatum, huc quicquid usquam in vicino lacu ac flumine haberi posset navigiorum adduceret imposito milite: erecta quoque ex adverso castris munimenta instrueret rebus necessariis, ut tuti illic agere, atque inde hostibus damna inferre possent milites. Si flecti Moschus ad consilia pacis posset, eam ineundi potestatem haberet, in annos plures paucioresve, ut commodum videretur; ita tamen, ne quidquam eorum, quæ nostrorum ei virtus eripuerat, restitueretur; sed in potestate Sveonum maneret, quicquid hæctenus ceperant, & in horam firmatæ pacis nostri porro caperent. Si secus ipse & ceteri facerent, de hæreditariis bonis suis tantundem Regi restituerent. Si Moschorum Princeps fato esset functus (ex mœrore incidisse in phrenesin, atque inde in mortem ferebatur, ob eandem Johannis natu majoris filii, cui virtutem opibus adversus patrem sententiam palam præferenti, scipionem in caput impegit pater, unde is in paroxysmos epilepticos, ac mox similiter in fata anno su-

periore concessit) cum Theodoro minore filio, aut tutoribus ejus, (justæ ætatis, sed mentis haud satis compos quippe fuit) de pace ageret. Sed si Theodoro repudiato, de alio eligendo in diversa consilia abirent Proceres, cum eo ageret Pontus, quem Novogardienses & Plefchovienses sibi Ducem imponerent, cui futuram auxilio Sveciam polliceretur adversus molientes hostilia, si in clientelam Regis se traderet. Si Novogardiâ, Nöteburgo, aut alio aliquo oppido ac munimento potiretur, vetuit Rex, prodigè uti humano sanguine, violari templa, cœnobia, vel fœminarum pudicitiam, ultimo constituto in transgressores supplicio. Si vulgus Moschorum, ob eligendi novi Ducis dissensum inter Proceres, scinderetur in partes, arreptisque armis, aut in ipsis invitis electum, aut in eligentes Proceres, aut se mutuò insurgerent, utqve factio una alterâ esset validior, opem Ponti imploraret, eam petenti promptè ferret, si se suaqve Sveonum Regi bonâ fide dederet, in perpetuo mansura obsequio: Quod tamen non extendi deberet, nisi ad Novogardici Ducatus incolas, quos caveret numero ac viribus exsuperare Svecos, ne fiduciâ sui, agitent hostilia. Adhæc, si ortis civilibus inter ipsos discordiis, tumultus orirentur, operam daret, ut Novogardienses, Plefchovienses, & finibus Sveonum ac Fenno- rum proximi, in fidem & clientelam se darent Regis Sveoniæ, religione sacramenti, osculo crucis, præbitisque obsidibus de mōre usi pro perpetuandorum obsequiorum pignoribus ac vinculis. Nec minus de Nöteburgo, Augdoa, Ladoga & Porchoviâ Sveciæ omni modo conciliandis laboraret, ut & Bajoris ac Knevis, qui eò inclinarent animis. Si quid in occupata à nostris Livoniæ loca hostiliter agerent Poloni, videret, ne quid rebus Sveonum illic decederet, & si aliter fieri non posset, vim vi repelleret. Si translatis in Livoniam copiis Rex Daniæ Poloni rebus se opponeret, cum hujus Præfectis ageret Pontus, ut Sveonici Danicique juris loca certis limitibus distingveret, ea nobis adserens, quæ opportunitate situs ad possessiones Sveonum veteres proximè accederent, aut si aliter transigi non posset, ut quisque suafaceret, quæ hosti communi Polono in posterum interciperet. Si Dux Osiensis Magnus, Danici Regis frater, Georgius etiam Farensbecchius, submittere se vellent Regi Sveciæ, repudiandi non essent: nihil tamen constituendum cum his, quod rebus Dani obsisteret. Rigeni urbi, ad opem Sveonum adversus quemcunqve confugienti, nec denegare-

garetur auxilium. Equeſtri dignitate genereque nobiles Livones, fidei ſe noſtræ permittentes, recipiendos jubet. Quæ cuique ſeu loco ſeu homini nomine Regis promitterentur, ſanctè ſervarentur, conſtitutâ poenâ mortis in eos, qui ferro, igne, aut quavis graviore injuriâ vexarent Regi deditos, aut quibus vi promiſſorum deberetur vitæ, corporum, fortunarumque incolumitas. Si adverſus leges militares peccaret vulgus militum, ut illæ ſciſcunt, plecteretur. Si militariſſimis officiis eximii graſſarentur, honore diminuto iisdem privarentur, ſurrogarenturque in locum ipſorum, qui legibus præſtarent reverentiam. Si quisquam è talibus præſtractè foret improbus, injectis compedibus ad Regem plectendus mitteretur. Rei cibariæ tantò diligentior haberetur cura, quantò minus ei in poſterum conferre poſſent Fenni, attenuati propinqui diuturnique belli ſuppeditato comœatu. Si quis injuſſu ejus, cui Rex ſummum commiſit belli arbitrium, aut furtim, aut per vim quid inde decerperet, vel equos publicos aut milites ad ſervitia ſua, cum officiorum in Regem neglectu, abſtraheret, vel armorum, aut nitrati pulveris, aut plumbearum glandium quid cleperet, velut fur & ſubleſtæ in Regem fidei nebulo, mulctandus eſſet. Munimenta adempta hoſti, milite, comœatu, rebusque ad deſenſionem neceſſariis, probè firmarentur. In hoſtico miles, quoad fieri poſſet, continendus, ut inimicorum potius quam civium aleretur impendio. Vis autem, & prædandi libido, arcerentur ab his, qui integram cum noſtris amicitiam colerent. Sata corrumpi non deberent, in fraudem hominum jumentorumque. Præmiis æ invitamento ſecuritatatis indemnitatique alliaciendi ruricolæ, ut neglectos per bella agros ſubigerent colerentque iterum. Si quid Ponto accideret humanitus, in munus ſuccederet Georgius Boje, poſt ipſum Carolus Henrici Hornius, ut ætate meritiſque locum ſibi jam diu paraverant. Ut conſiliis operiſque junctis fulcire ſe deberent mutuò, & ſimul remunerari publicam: ita ſi quid adverſus hæc ſcita ab ipſis foret peccatum, pro ſe quisque ad reddendas rationes geſti muneris vocaretur, nec conjectu culpæ in alium, à reatu ſemet eximeret. Dum ad hæc novæque è Sveciâ copias in Livoniam ducendas, ut adverſus fortuita eſſet munitior, abeſt Pontus, quem loco ſuo reliquit in Livoniâ, rem adverſus Nöteburgenſes tentat infeliciter.

Die XXVIII. menſis Januarii anni ſequentis, nova accipit manda- Anno 1583.

ta Pontus, de pace aut induciis cum Moscho ineundis, sed eâ lege, ne induciæ illæ biennio fierent breviores, & ut Præfecturæ Nöteburgensis partem eam, quæ esset cis Nyensem amnem, in pignus reconciliati amoris Sveonum Regi omninò cederet. Pertæsus cladium Moschus, in tres annos pepigit inducias, capta Svecis loca tantisper retinenda linquens. Captivi utrinque sine ullo pretio redditi. Hoc anno Catharina Sigismundi Primi Poloniæ Regis & Bonæ Sfortiæ filia, Sigismundi Secundi seu Augusti Soror, Johannis Tertii Sveonum Regis conjunx, Sigismundi Tertii anno M. D. LXXXVII. Poloniæ creati Regis, & Sororis ejus Annæ Sveonum Principis mater, die XVI. Septembr. Holmiæ diem obiit. Aliquantò ante, Magnus Osiliensis Dux, Friderici II. Danorum Regis frater, post breves imaginarii Regni honores, collatos ipsi à Moscho, & alteros ad finitatis ductâ fratris ejus filiâ, ab eodem adfectus contumeliâ, ad partes Poloniæ transiens, atque inde in Pilteni suo Episcopatu Curlandiæ, aliquandò etiam in Osiliâ degens, die XVIII. mensis Martii, in suum locum abiit: post cujus mortem pars nobilitatis diocesis in Dano, pars Polono obtulit. Johannes Behr, qui Danicarum erat partium, eoque nomine ad Daniæ Regem Legatus fuerat, à Polonorum manu, jussu sui Regis, ut jactabat, obsesus, gnaviter se defendit. Tandem duo Reges, ne dimicatione exasperarentur animi, in Georgium Fridericum Borussiæ Ducem tanquam arbitrum, litem ex æquo dirempturum, consenserunt. Hic rem eò perduxit, ut Daniæ Regi à se numeratis triginta uncialium solidorum milibus, sibi diocesis à Rege Poloniæ fruenda permitteretur. Itaque Anno 1584. mense Julio anni sequentis, nomine Regis Daniæ quidam Legatus, incolas diocesis à juramento Daniæ Regi præstito liberans, eam Poloniæ Regi tradidit. Cujus in Livoniâ vices gerens Georgius Radzevillius Cardinalis, vicissim Georgium Fridericum Borussiæ Administratorem, in ejus possessionem induxit. Osiliam verò insulam magno sinui Livoniæ ad occasum objectam, duodecim milliaria in longitudinem, septem in latitudinem patentem, continentem parcellas decem, ab ultimo Osiliensium Episcopo Johanne Mynichausen emptam, ut prius scripsimus, Fridericus II. Rex Daniæ, superioribus annis Georgio Farenbecchio, tribuno militum celebri Livono, in tempus vitæ tradidit, hac conditione, ut redditibus ejus liberè, nullis redditibus rationibus, frueretur, & vicissim Regi Daniæ fidus ac obsequens esset, nec sine ad-

sensu

sensu ejus ulli alteri operam suam addiceret. Prima militiæ tirocinia is in patriæ Livoniæ bellis civilibus aliquot annos deposuit. Inde, ductis in Moschoviam equitibus Germanis, strenuam adversus Tataros operam Moscho navavit, & cum delectis Tataris, ad duellum Russos subinde provocantibus, aliquoties fortiter & feliciter, adspectante utroque exercitu, congressus, eximiam magni fortisque animi laudem, sibi comparavit: cujus fama multas gentes pervagata, in Dania quoque ad Regem Fridericum, bellicæ virtutis laude præstantium virorum amantem, pervasit, qui inter aulæ Ministros allectum, Marschalli Aulici titulo cæteris præfecit. Illic octo annos commoratus, fidem & industriam Regi probavit. Tandem, cum Stephanum Poloniæ Regem, Livoniam patriam ejus bello adversus Moschum tueri velle intelligeret, ac ipse ad liberandam eam è faucibus mali Domini aliquid operæ ac laboris adferre cuperet, permissu Dani, Poloniæ adversus Moschum militiæ nomen dedit, expeditionibusque Stephani Regis Velicolucanæ ac Pleschoviensi egregiâ cum fortitudinis laude interfuit, magnasque impensas in equitum peditumque ornatissimas turmas suo ære conductas fecit. Bello finito, Stephanus Rex compensare ejus fidem, industriam sumptusque volens, Præsidis Vendenfis officium, & Præfecturas aliquot in diocesi Curoniensi, ac in his Piltensem, & in Trans-Dunana regione Kerckhusiam, & alias hæreditario jure frundas, benignè obtulit. Farensbecchius honorificas sibi & fructuosas Polonici Regis condiciones arbitratus, statim ad Daniæ Regem, memor obligationis, quâ ipsi devinctus erat, omnia perscribit, & an permissu ejus eas accipere liceat, exquirat. Rex rescribit. Curoniensis diocesis præfecturas, ad se & Regnum Daniæ, post obitum fratris Magni delatas, pleno jure pertinere. In cæteris nolle se Farensbecchii fortunæ obsistere. Nolle tamen svadendo dissvadendove aliquid in eam rem dicere, sed prudentiæ ejus quicquid id est totum committere. Farensbecchius ea verba non obscure vim permissionis habere ratus, oblatam Præsidis Vendenfis dignitatem, cæterasque arces ac prædia, exceptis Curonicis, & paulò post etiam Livoniæ Equitum Magisterium, à Rege Stephano delatum, accepit, operamque ac fidem ipsi suam, excepto tamen, si quid adversus Daniæ Regem moliretur, vicissim obstrinxit. Eo cognito, Daniæ Rex, cum Farensbecchio per litteras exposulans, misso statim in Osiliam Legato, Arensburgensem

arcem sibi restitui, & quatuor nobilibus istius provincie tantisper tradi flagitat, donec coram Rege & sui Regni Senatoribus Farensbecchius se legitime purgasset. Cum autem se inaudito feudum sibi adimi deprecaretur Farensbecchius, & arcem novis praesidiis sibi juratis munitur, majorem indignationem Rex concipiens, quod non solum alteri Domino fidem suam magnis praemiis oppignorasset, sed etiam arcem suam suis Legatis patefactam tradere recusasset, novos Commissarios Regni Senatores, Petrum Munchium Regni Thalassiarum, Haquinum Holgeri, Fridericum Ranzovium Henrici Regii Vicarii filium, & nonnullos alios cum classe armata in Osiliam misit. Farensbecchius interea ad Borussiae Ducem profectus, ut commendatitiis acceptis ab eo ad Daniae Regem literis, exasperatum ejus in se animum mitigaret, arcem certis Praefectis ex Nobilitate Osiliensi sacramento sibi obstrictis, usque ad reditum suum custodiendam mandavit. Appulsa autem classe Danica, post sex dierum habita cum custodibus colloquia, arx Commissariis Regiis reclusa redditur, & Nobiles provincie supplices, agnitam violatae in Regem fidei culpam deprecantes, novo se juramento ad fidem Regi servandam obligant, quam, quod primis Regis Nunciis adversus Farensbecchium se non adjunxissent, temeravere. Duci vero Borussiae diligentissime apud Regem pro Farensbecchio intercedenti, prolixo scripto Rex causas aperuit, cur gratificari ipsi in hac re non posset. Farensbecchius cum placari Regis in se iram nullo modo posse cerneret, fuisse accurateque scriptam Apologiam, per proximorum Regum ac Principum aulas sparsit, docens, innocentem se premi malevolorum apud Regem calumniis, admisissetque se nihil, quod cum fide ac officii Regi debitis pugnaret. Sic Osilia ad Danos rediit.

Post initas cum Moscho inducias, Livoniae Svedicae summus Praeses Pontus, jussu sui Regis, provinciae sibi traditae res, tot in ea bellantium Principum armis adfectas, pro viribus ordinare instituit. Rem vero ejus nummariam, vitio necessitateque bellorum mire corruptam, ex autoritate sui Regis, hoc & superiore anno, sic emendare conatus est. Flagrantibus ab omni parte bellis, pecunia omnis, pondere ac magnitudine, interno etiam materiae pretio, deminuta, non aequabat bonitate pretium ejus, quam pacatis Reipublicae temporibus cudi fecit autoritas publica, unde non leve damnum passim senserunt

inco-

incolæ. Jussu itaqve Regis, affixo passim publico programmate, veterem militarem monetam, ad persolvenda militi stipendia arctis provinciæ rebus repertam, abrogans, novamqve meliorem cudi faciens, bonitate ac pretio æquare fecit eam, quam Gustavus Primus, gloriose memoriæ Rex, usitatae communiter per Germaniam monetæ parem, superatis patriæ difficultatibus, fieri fecit, ita ut quatuor marchæ thalerum, ut vocant, & octo solidi marcham constituerent. Et quia contractus ex literarum obligatione, per totum regnum adtributasqve eidem provincias, magnas lites videbantur parituri, censuit Rex, ex consilio Senatus, ut de cætero omnes literarum obligationes, secundum æstimationem monetæ, quæ tum fuit, cum ex credito nasceretur obligatio, præsentī meliore, habitâ tamen ratione pretii, quo priorem exsuperat, persolverentur. Sed quod pro sorte & usuris antehac esset persolutum, ratum esset ac firmum. Deinde, quia civitas Revaliensis diuturni belli molestiis redacta esset ad eam egestatem, ut annuum tributum præstare non posset, moram solutionis ei hæcenus indultam, adhuc prorogandam ad tempus Rex censuit, exsolviqve sibi debita à civibus tributa deteriorē pecuniâ veteri, quæ sic redire ad cudi jubentem posset, & ipsi expertes esse damni, quod ex abrogatæ deminuto planeve abolito pretio, ad ipsos posset manare. Post elapsum autem indultæ jam moræ spatium, usuræ sortem sequerentur, ni denuò solvendi moram Rex urbi clementer produceret. Porro, quibuscunqve seu urbibus seu terris, concessum esset cudendæ monetæ jus, eo uterentur ad præscriptum constitutionis Regiæ, ne deteriorē cudendo quam par esset, in fraudem aliorum id fieret, & ipsi indignos se facerent concessio privilegio. Solis Revaliensibus permissum fuit, Schillingios, quos vocant, cudere, in tenuiorum civium & rura colentium gratiam. Tandem, promulgato hoc edicto, si quid in fraudem ejus à quoqvam fieret, cujuscunqve esset dignitatis ac loci, non deberet ignorationem hujus juris culpæ prætexere, nec à centum florenorum Ungaricorum irrogatâ per Regem multâ, ullo modo liberari. Hæc monetariæ illius constitutionis summa fuere capita.

Hoc anno, die XXVI. mensis Martii, Johannes Basilides Magnus Moschorum Princeps, ob immanitates inauditas à Paulo Oderbornio, Alexandro Gagvino, aliisque passim descriptas infamis,

vivendi sciendique finem fecit, more Ruffico, ut ferunt, piè decedens, postquam LVI. annos vixisset, XXXIX. regno præfuiſſet, & XXV. gravi luſtuoſoque bello Livoniam adfixiſſet. Ex Anaſtaſiâ uxore primâ, Romani filiâ, Michitæ Romanovitzii ſore, alii ex Mariâ Temnokovia tradunt, duos ſuſcepit filios, quorum priorem ſibi cognominem, imperio poſt ſe deſtinatum, viginti annorum adoleſcentem, ante annum & dimidium, vel ob cauſam prius à nobis dictam, (varias enim varii adferunt) vel quod patrem monuerit, acie cum Polono decernere, petentem viſcera Reipublicæ, cum aliquâ exprobratione ignaviæ, vel quod filio invito ac dolente, detrufis in monaſterium duabus prioribus filii uxoribus, etiam tertiam Helenam Johannis Scheremitioni filiam inhumaniùs tractatam à patre, impatienter tulerit, ab eodem ob id inſiſto ad tempora Scipione, interfecerit: Poſtteriorem Fœdorem (ſic illi Theodorum nominant) mentis vitio rebus gerendis, ut ferunt, inhabilem, hæredem Regni moriturus Proceribus convocatis enixè commendavit, curatoribus ei adtributis quatuor, Ivano ſeu Johanne Fœrdorvitz Miſtiſlavski, Michita Romanovitz, Ivano Petrovitz Suski, & Michaële Andrevitz Beſſyn, cui illi patre mortuo connubio junxerunt Irenen Theodori Gudenovii filiam, die XXVIII. Junii hoc anno cum ipſo ſimul inauguratam imperio. Moriturus pater monita ingeſſit, ut à bello ſemper abſtinerent, & pacem cum vicinis Principibus colerent. Præterea, ob ſuorum continuis bellis attritorum inopiam, certa tributa in decennium remiſit; & captivis, aut in Ruſſiâ manendi, aut liberè abeundi poteſtatem fecit. Legatos etiam aliquamdiu ante miſit Conſtantinopolin cum muneribus ad Patriarcham, quibus eadem filii expiatam voluit. Tandem more inter eos recepto, tonſus, & monachorum ſumpto amiſtu, mori geſtuit. Antequam moreretur, de Tataris Caſſinenſibus, qui ſuperiore anno rebellaverant, cum pœnas ſumere cuperet, ingentem exercitum conſcripſit, colore quæſito, quaſi contra Syecum ducturus eſſet, dein verſâ in orientem fronte, aliam famam ſparſit, quaſi Caſſanenſium metropoli bellis exhaustæ de comœatu proſpecturus eſſet, quò ſecuros & hac illuc diſperſos Tataros improviſus opprimeret: verum illi, quibus de fraude ſuboluerat, Ruſſos agminatim, ut magis fallerent, incedentes, conferti aggrediuntur, & ſoleis ligneis oblon-

gis, quibus, more nostrorum Lapponum, feras & equos velocissimos cursu antevertere norunt, procurentes, Russos fessos, & propter lubricitatem, nonnusquam etiam profunditatem nivium, vix vestigia in solido figentes, adorti, cum effugere non possent, ad unum omnes trucidant, vix nuncio cladis superflite: quæ tanta injuria, morte Johannis inulta mansit.

Andræ Lorichii causam, hujus anni autumno, Regi Pontus aperuit. Is, quamvis esset Minister Regis Sveciæ, & juratam ei addidisset fidem, furialibus tamen concitatus avaritiæ stimulis, quod hiantes ejus cupiditates pecuniis & feudis Rex non explevisset, consilium cepit prodendæ Polonis Narvæ. Ne tamen inficiari posset, crimen, interceptas ejus literas Regi submisit. Id scelus alio cumulavit. Ad Cæsarem profectus, consilia agitavit perniciosâ Regi Sveciæ. Sed sceleratè improbum pœna comes à tergo secuta est. Deprehensum in Gedanensium suburbio, compedibus injectis, navi abduci in Sveciam, ad exquisitos flagitiisqve dignos cruciatus, fecit. Regi à secretis Nicolaus Raschius. Coqvendi in insula Dagön salis negotium, jussu sui Regis, etiam suscepit Pontus hoc tempore.

Anno M. D. LXXXV. qvi Ponto vitæ ultimus, videns Rex Johannes, controversias inter se & adfinem sibi Poloniæ Regem atqve Regna utriusqve gliscentes, perpetuum præbere odiis ac contentionibus fomitem, aliquandò, ut justus metus erat, erupturum in feralis belli incendium, itaqve ad id maturè ac in primum emicantibus scintillis exstingvendum, quod sparsis latè flammis magis foret arduum, missis in Poloniam nunciis ac literis ab adfine Rege ac Proceribus obtinuit, ut certo ad Regni utriusqve fines loco utrinque, missi Legati, necessariis mandatis instructi, ad præstitutam diem convenirent, oppressuri in herbâ longarum litium malum, unde natæ altercationes, exacerbationes animorum, odia ac tandem bella, tanquam è foecunda calamitatum radice, pullulare omni ævo solita. Istarum litium qualis tum indoles, quibus ab utraqve parte nixæ rationibus, quibus Viris modisqve, si fieri per æquitatem posset, tolli voluerint inclutæ memoriæ Rex Hæreditariiqve Sveonum Principes, non aliunde melius talium rerum cupidi cognoscent, quam si ex ipsorum autographis bonâ fide edantur in hanc rem tradita Legatis ipsorum cum plenâ agendi potestate mandata, ne quis ingenio nostro

Anno 1585.

stro tribuat, fingive à nobis puter, quæ liquidò probari possunt, adhibitis autographis, manâsse ex voluntate æquissimoque jure non sine honore nominandorum Principum.

Rex quidem cum adversæ partis Legatis agendi potestatem suis cedit hac verborum formulâ.

”JOHANNES Tertius, Dei gratiâ Svecorum, Gothorum, Vandalorum &c. Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Careliæ, Votzschoviæ & Ingriæ Ruthenorum, Esthoniæque Livonum &c. Dux, notum testatumque facimus, quorum interest, universis & singulis: cum inter nos carissimosque liberos nostros ex unâ, & Serenissimum Poloniæ &c. Regem, præfatumque Regnum & Magnum Ducatum Lithuaniam, ex alterâ parte, conventum sit, ut ad dirimendas & definiendas eas controversias, quæ inter nos multis jam annis fuerunt, Legati ex utraque parte jam ad fines mitti debeant. Quapropter commissimus, sicuti & vigore præsentium committimus plena & omnimodâ cum potestate dilectis & fidelibus hisce nostris Legatis & Commissariis, Nobilibus & Generosis, Domino CLAUDIO ACHATII, nostro & Regni nostri Consiliario, Archi-Mareschallo Magni Principatus Finlandiæ & Careliæ Ruthenorum, supremoque Legisfero ibidem, nec non Domino & Equiti Aurato Bystadensi: Domino PONTO DE LA GARDYE, nostro & Regni nostri Consiliario, Supremo exercituum nostrorum Campiductori, Gubernatori Livoniæ, Votzschoviæ, & Ingriæ Ruthenorum, Baroni & Equiti Eckholmensi, Domino Kolchæ & Sundby: Domino CLAUDIO BIELCKE Wykeni, nostro & Regni nostri Consiliario, Gubernatori arcium Cronebergæ, & Jenecopiæ in Ducatu Smalandensi: nec non CHRISTIerno GABRIELIS (Oxensternio) Gubernatori arcium Nariæ, Ivanogorodiæ, & Jamagorodiæ, Aulæ nostræ Consiliario, & Baroni Mörbyensi: Domino TURONI BIELCKE Nynæensi, Aulæ nostræ Consiliario: & CAROLO HENRICI (Hornio) de Kanckas, Gubernatori arcis Aboënsis, Consiliario belli: adjunctis Secretariis nostris JOHANNES BERNDES, NICOLAO RASK, & PETRO ERASMI BRUNO, ut de omnibus iis, quæ nobis irrefragabiliter debentur, quæque carissimis liberis nostris jure hæreditario competunt, cum Legatis & ad hoc negotium Deputatis Commissariis Serenissimi Regis Polo-

Poloniæ &c. agant, tractent, constituent & concludant, tam no-
 stro quam carissimorum liberorum nostrorum nomine, secundum
 instructionem à Nobis ipsis datam, & manu nostrâ Regiâ subscri-
 ptam. Concessâ simul eis potestate, postulandi, recipiendi, levân-
 di, quittandi, & sufficientes apochas dandi: ita ut quicquid prædi-
 cti nostri Legati & Commissarii pleno nostro mandato & autori-
 tate muniti, secundum formam Instructionis à Nobis ipsis datam
 egerint, concluderint, petierint, receperint, levaverint, quittaverint,
 id totum tam Nostro quam carissimorum liberorum Nostrorum
 consensu & voluntate factum esse, asseramus & approbemus, ra-
 ta, grata & firma habituri, quæcunqve ita facta & conclusa fue-
 rint, non secus ac si per Nos, aut carissimos liberos Nostros facta
 & conclusa essent. Et si quæ præterea quoque alia majoraque ad
 hujus mandati & voluntatis nostræ executionem necessaria fuerit
 potestas, quam quæ præsentibus hisce nostris literis expressa est,
 eam ipsis quoque vigore præsentium datam & concessam intelli-
 gimus, non aliter ac si expressis verbis eadem hic comprehensa
 esset. In cujus rei testimonium literas præsentibus manu propriâ sub-
 scripsimus & sigillo nostro muniri curavimus. Datum in arce no-
 strâ Regiâ Stocholmensi XVIII. die mensis Julii, Anno Christi
 MD. LXXXV. Regni nostri XVII.

JOHANNES R. S.

(L. S.)

Hæreditarii verò Principes in hunc modum:

SIGISMUNDUS D. G. Regnorum Sveciæ, Gothiæ & Vanda-
 liæ proximus hæres & futurus Rex, Magnique Principatus Fin-
 landiæ, Careliæ, Votzchoviæ & Ingridiæ Ruthenorum, Esthoniæ-
 que Livonum, nec non Magni Ducatus Lithuanæ hæres, Dux Ve-
 strogothiæ: & Nos ANNA, eâdem gratiâ nata Princeps Regni
 Sveciæ &c. notum facimus, quorum interest universis & singulis:
 Quamvis eas plenæ potentiæ literas, quas Serenissimus Sveciæ Rex
 &c. Dominus pater noster carissimus & observandissimus, in
 controversiâ inter ejus Majestatem nosque ex unâ, & Serenissimum
 Poloniæ Regem &c. dictumque Regnum & Magnum Ducatum
 Lithuanæ ex alterâ parte, suis Legatis dedit, satis amplas & suffici-
 entes ducimus esse, tamen ne quid desit, quod jure ad eam rem

27 requiri posse videatur, nos etiam commisimus, sicuti & vigore
 28 præsentium committimus plenâ & omnimodâ cum potestate dictis
 29 Seren. Domini Patris nostri carissimi & observandissimi legatis &
 30 Commissariis, sincerè nobis dilectis, Nobilibus & Generosis, Dn.
 31 Claudio Achatii Tott, Regni Sveciæ &c. (ut in superiori) Dn. Pon-
 32 to de la Gardye (&c. ut prius) Dn. Claudio Bielcke Wikensi (ut su-
 33 perius) Dn. Christierno Gabrielis (&c. ut prius) Dn. Turoni Bielcke
 34 Nynænsi &c. & Carolo Henrici in Kanchas, Gubernatori Ar-
 35 cis Aboënsis, Consiliario Belli, adjunctis Secretariis Johanne
 36 Berndes, Nicolao Rasch, & Petro Erasmi Bruno, ut de omnibus
 37 iis, quæ nobis jure hæreditario justissimè & irrefragabiliter com-
 38 petunt, cum Legatis, & ad hoc negotium Deputatis Commissariis
 39 Seren. Regis Poloniæ &c. tractent, agant, constituent & conclu-
 40 dant, tam Seren. Domini Patris nostri carissimi, quam nostro no-
 41 mine, secundum instructionem datam atque subscriptam, concessâ
 42 simul eis potestate postulandi, recipiendi, levandi, quittandi, & suf-
 43 ficientes apochas dandi: ita ut quicquid dicti Legati & Commissa-
 44 rii pleno mandato & autoritate cum Seren. Domini Patris nostri,
 45 tum etiam nostrâ muniti, secundum formam Instructionis datam,
 46 egerint, concluderint, petierint, receperint, levaverint, quittave-
 47 rint, id totum tam Seren. Patris nostri carissimi, quam nostró con-
 48 sensu & voluntate factum esse asseramus & approbemus, rata, gra-
 49 ta & firma habituri quæcunque ita facta & conclusa fuerint, non
 50 secus ac si per Seren. Dominum Patrem nostrum carissimum, aut
 51 per nos ipsos facta & conclusa essent. Et si quæ præterea quoque
 52 alia majorque ad hujus mandati & voluntatis nostræ executionem
 53 necessaria fuerit potestas, quam quæ præsentibus Seren. Domini Patris
 54 nostri carissimi & nostris literis expressa est, eam ipsis quoque vi-
 55 gore præsentium datam & concessam intelligi volumus, non aliter
 56 ac si expressis verbis eadem his comprehensa esset. In cujus rei
 57 testimonium, præsentibus manu propria subscripsimus, & sigillis no-
 58 stris muniri curavimus. Datum in arce Regiâ Stockholmensi XVIII.
 59 Julii. Anno CHRISTI M. D. LXXXV.

Sigismundus P. P. H. R. S.
 (L. S.)

Anna Sveriges Princeps.
 (L. S.)

Con-

Confignatio Mandatorum, de quibus nos Johannes Tertius³² &c. per Legatos nostros Dn. Claudium Achatii Tott, & ceteros³² prius nominatos, agi volumus cum Legatis Regis Poloniae, facta Holmiae die XVIII. Julii Anno CHRISTI M. DC. LXXXV. 1685

Ante omnia, Oratores nostri Polonicis Legatis in memoriam³² revocabunt, quantâ sinceritate animi, inde ab eo tempore, quo cum³² felicitis memoriae Sigismundo Augusto affinitatem contraximus, cum³² Regno Poloniae & Magno Ducatu Lithuaniae, amicitiam coluerimus³² non uno altam cumulatamque officiorum genere. Non enim tantum ingentem pecuniarum vim dicto Regi, ad sustinendos gravissimi in Moschum belli sumptus, mutuam dedimus; sed etiam, postquam Divinâ voluntate paterni Imperii scepra capeffivimus, non semel, cum eodem hoste aut pacem aut plurium annorum inducias inire potuiffemus, cum nostro civiumque nostrorum insigni emolumento: Sed in Regni Poloniae Magnique Ducatus Lithuaniae majorem utilitatem, ac ut eò magis hosti essent pares, eorum precibus adducti, non sine maximis nostris civiumque impensis, bellum in hunc diem continuavimus, armis nostris, non Livoniam tantum pro viribus tutantes, sed ab ipsâ etiam Lithuania in nos vertentes signa hostium, ab eâ depulimus, quibus cum primis Mosehi saviunt, ferri aciem, ignis ferales tædas. In quorum beneficiorum vicem, non solum nullam nobis Poloni in hunc diem retulere gratiam, sed amorem & beneficia, odio pensârunt ac injuriis. Sic enim, cum ipsorum causâ, nullâ nostrâ culpâ, amisiffemus, quicquid usquam possedimus, non in Magno tantum Ducatu Finlandiae, sed per ampliffimum etiam Regnum Sveciae, atque jure adfinitatis, omnem ab ipsis par esset sperare benevolentiam, illi non intercessione, non pecuniâ, non denique ullâ re nos juvare voluerunt, apud fratrem Regem, suis suspicionibus, improborumque calumniis, onerantem nos, pueros omnis in ipsum, non perpetrati tantum, sed cogitati etiam sceleris. Imò, cum ultrò libertati reddere nos vellet Ericus Rex, si pariter Christophorus Dux Megalopolitanus dimitteretur è Poloni custodia; nec in id consentire voluerunt: cum tamen non diu post, captum sine ullo pretio dimitterent. Adhæc, arces nobis à Serenissimo Rege Sigismundo Augusto, ob mutuam à nobis sumptam pecuniam oppignoratas, non solum

22 solum nostræ captivitatis tempore, ad se, nobis inconsultis, recepe-
 22 runt, sed etiam post liberationem nostram, toties eâ de re compel-
 22 lati, ne in hunc quidem diem, restituere voluerunt. Arcem no-
 22 stram Lehaliam in Vichiâ per vim occupârunt. Quam cum iusto
 22 modo armisque recuperavissetus, per Cuzinski nuncium Sigismun-
 22 dus Augustus excusavit se, quasi se nesciente id esset factum, & nisi
 22 nos eam recuperavissetus, sponte eam nobis fuisset restitutus. Do-
 22 tem Serenissimæ Reginæ dilectissimæ quondam conjugis nostræ, il-
 22 lustris & laudatissimæ memoriæ, contra omnium gentium laudabi-
 22 lem, receptumque omni ævo morem, firmatum etiam solemnibus
 22 connubialis fœderis tabulis, tot jam annis apud se retinuerunt, &
 22 adhuc retinent. Titulum dictæ Serenissimæ quondam conjugis no-
 22 stræ, ipsa vivente, mutârunt mutilaruntque, utpote cum eam antea
 22 Krolova Polska vel Reginulam & natam Principem Poloniæ appel-
 22 lassent, tandem Catharinam Jagelloniam tantum nominarunt: sci-
 22 licet, ut quicquid juris ei apud ipsos competeret jure natalium, ver-
 22 bis ipsis extenuarent abolerentque penitus. Maternam item Sere-
 22 nitatis ejusdem hæreditatem, primùm ipsi, postmodum ipsius ex no-
 22 bis carissimis liberis denegârunt. Pecuniam mutuam acceptam à
 22 nobis, veriti non sunt inficiari, tantum abest, de ipsa nobis persol-
 22 vendâ seriò, ut fas, unquam cogitaverint. Exequi Testamentum,
 22 Serenissimi Regis Sigismundi Augusti, non solum in præsentem diem,
 22 quamvis crebrò compellati, intermiserunt, sed etiam, cum privatis
 22 quibusdam, ad familiam Jagellonicam nihil pertinentibus, legata in-
 22 eodem habuerint rata, fruique iisdem fecerint, legitimos è familiâ
 22 hæredes, optimè de Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuanie me-
 22 ritos, eo in hunc diem fraudârunt, tentâruntque tandem in totum
 22 excludere. Naves civium & merces, vi atque omni sine justâ causâ
 22 ipsis ereptas, restituere sæpè moniti, in præsentem horam non resti-
 22 tuerunt. Simul ac Regnum inivimus, pecuniâ, muneribus, ac pol-
 22 licitationibus Gubernatorem nostrum Livoniæ tentârunt, ut his de-
 22 linitus, quicquid in Poloniâ teneremus bono jure, Polonis proderet.
 22 Quamvis per literas & nuncios, ad continuandum in communes ho-
 22 stes Moschos bellum, sæpius hortati sint, atque nos, non sine maxi-
 22 mis impensis, id precibus ipsorum dederimus, tamen in faciendâ
 22 pace, adversus promissorum fidem, semper fraudarunt, nuper etiam
 exclu-

excluserunt penitus. Ænea tormenta nostra, gratis Vendenſi præ-
lio Moſchis recuperata, ſub omnium belli Præfeſtorum fide Poloniſ⁹⁹
uſurpanda ad tempus conceſſa, de reddendis non ſemel requiſiti,⁹⁹
ſecus quam promiſſum erat, retinuerunt, & adhuc retinent. Quæ⁹⁹
omnia cum diutius à nobis ferri indignum ſit, & jam tandem Polo-⁹⁹
niæ Rex annuerit, petitioni noſtræ, de mittendis utrinque ad ditio-⁹⁹
num fines Legatis, qui acturi amicè de rebus nobis liberisqve noſtris⁹⁹
omni jure debitis, quas irrefragabiliter nobis ipſisqve exſolvendas⁹⁹
ducimus, ideoqve requirerent ab ipſis noſtri Legati ac Commiſſarii,⁹⁹
modum ac tempus, quo commodiſſimè arbitrentur id poſſe fieri.⁹⁹
Poſtulabunt autem ab ipſis noſtro & cariſſimorum liberorum no-⁹⁹
ſtrorum nomine ſequentia.⁹⁹

I. Pecuniam, quam mutuam dedimus Seren. Regi Sigismun-⁹⁹
do Auguſto, nempe CXXIV. thalerorum uncialium millia, cum eo,⁹⁹
quod noſtrâ intererat, ante annos XXIII. nobis fuiſſe perſolutam.⁹⁹

II. Sumptus à nobis factos in muniendis iis arcibus, quæ no-⁹⁹
bis pro illâ pecuniâ oppignoratæ fuerunt.⁹⁹

III. Reditus arcium oppignoratarum integris annis XXIII. ſi⁹⁹
uſuras pecuniæ creditæ negaverint. Ita autem intelligendi ſunt il-⁹⁹
li reditus, quaſi eæ arces, cum adjectis territoriis, non vaſtatæ, ſed a-⁹⁹
gri ſemper culti belloqve intacti fuiſſent.⁹⁹

IV. Dotem Sereniſſimæ Regiæ, conjugis quondam noſtræ di-⁹⁹
lectiſſimæ XXXII. aureorum Hungaricorum millia, cum annorum,⁹⁹
XXIII. ſcœnore.⁹⁹

V. Legatum Regiæ Bonæ L. Ducatorum millia, quod ex ul-⁹⁹
timâ voluntate ejus, ſtatim poſt nuptias noſtras nobis exſolvi debuit.⁹⁹

VI. Pretium bonorum immobilium ac ſoli à Regina Bonâ⁹⁹
propriâ pecuniâ emptorum, cum eorum fructu, ab eo tempore, quo⁹⁹
Sereniſſimus Sigismundus Auguſtus Rex obiit, quandoquidem tum,⁹⁹
ſtatim ea bona inter ſorores dividi debuerunt, ut ex Regis ejuſdem⁹⁹
teſtamento patet evidentè.⁹⁹

VII. Ea omnia, quæ idem Rex in theſauro Tichuzinenſi alibi-⁹⁹
ve reliquit, vel propriâ pecuniâ empta, vel per hæreditatem ad ipſum⁹⁹
devoluta, vel à Johanne Sigismundo Hungariæ Rege, aut Domino Ca-⁹⁹
ſtoldo, aliisve Regibus Poloniæ vel legata, vel donata, quæ ſanè pu-⁹⁹
blicâ pecuniâ empta non fuerunt.⁹⁹

”VIII. Compensationem sumptuum, factorum in Legatos, nuncios, tabellarios & naves, cum superiora deberent repeti.

”IX. Tormenta bellica, sub cautione & chirographo presentium tum Præfectorum belli, utenda data Polonis, post Vendensæ prælium.

”X. Restitutionem, aut si ea fieri non possit, compensationem navium & mercium civibus nostris sine ullâ justa causa ereptarum.

”Hæc omnia & singula ut tandem re ipsa integrè & sine ulteriori cunctatione ac tergiversatione nobis solvant Poloni, seriò & constanter Legati nostri urgebunt. Et quamvis ipsorum sit cogitare ac dispicere, quâ ratione id commodissimè fieri possit: tamen si paratam ad manum pecuniam non habuerint, quâ exsolvi possint omnia ea, quæ nobis carissimisque liberis nostris irrefragabiliter debentur, significabunt illis Legati nostri, facturos eos nobis satis, si locorum eorum, quæ nobis liberisque nostris ab ipsis sine contradictione debentur, Serenissimus Poloniæ Rex, Regniqve totius & Magni Ducatus Lithuaniae Ordines, pro se suisque successoribus & hæredibus, nobis liberisque nostris cedant, atque integrè & tranquillè tenendas ac possidendas in perpetuum tradant, primum sex arces pignori nobis à felicis memoriæ Rege Sigismundo Augusto inscriptas, quæ sunt Helmet, Ermes, Karchus, Ruin, Bortnick & Tricatel: Deinde civitatem & arces totius dioecesis Dorpatensis, Pernoviam, Velinum, Laïs & Ofverpalen, cum omnibus earum territoriis & jurisdictionibus, totoque illo tractu, qui ex hac parte fluminis Aabeck dicti est. E diverso illis promittent nostri, nos juri nostro, in postulandis decetero iis, quæ directè nobis debentur, quæque liberis nostris hæreditario jure competunt, tum nostro, tum liberorum nostrorum nomine, renunciaturos in perpetuum. Si de postulatis his nostris ad proxima Comititia relaturos se esse dixerint Poloni: Respondebunt Legati nostri, frustra dilationem eam ab eis nunc quæri, cum ignotum ipsis esse non possit, quâ de causa ad fines jam venerint, cumque de his rebus toties & in tot Comititiis actum disceptatumque sit, ut fieri id sæpius non sit necesse. Si in sententiâ persistierint, postulabunt Legati nostri ab ipsis, ut saltem interea restituant nobis arces à Sigismundo Augusto Rege nobis oppignoratas, & si quæ ipsarum aliis fruenda data sit, loco ejus dent Velinum, simulque hoc an-

no nobis solvant L. solidorum uncialium millia, & tantundem anno²² sequenti, sicque rem ad proxima Comitia referant. Nobis interea²² sit integrum, dictas arces retinere, donec plene de hoc negotio inter nos transactum sit, atque ea quæ nobis liberisque nostris plenissimè & hæreditario jure debentur, plenè bonæque fide ab ipsis persoluta sint. Insuper indicabunt Legati nostri Polonis, si nobis restituerint coronam Sveticam, quam Christiernus Daniæ Rex ex hoc Regno ad ipsos transtulit, pignori que eis reliquit, sicut & alteram, quæ Serenissima & dilectissima quondam conjunx nostra primo die nuptiarum usæ est, nos pretium utriusque detracturos esse de summa universi debiti, aut ex summâ usurarum pro dote, aut dote ipsa, quæ nobis omni jure debetur. Ad ultimum, si nullo alio pacto impetari poterit adensus Polonorum, ad ea, quæ nostro liberorumque nostrorum nomine hactenus postulanda recensuimus, tandem poscent Legati nostri ab ipsis, ut saltem, dum de hoc negotio inter nos liberisque nostros ac ipsos transigitur, nobis restituant sex arces à Sigismundo Augusto Rege nobis oppignoratas.²²

Quod si autem harum conditionum nullam admittere volent Legati Polonici, palam dicent illis Legati nostri, minimè mirum ipsis videri debere, si coram DEO optimo Maximoque, omnibusque deinde Regibus ac Principibus protestati, denegari nobis ab ipsis præter fas & æquum, quæ nobis liberisque nostris debentur ex juris plenitudine, cogitaturi deinceps de iis rationibus ac viis, quibus jus nostrum, eaque, quæ nobis & liberis nostris debentur, aliquandò queamus consequi. Actum ut superius.²²

JOHANNES R. S.

(L. S.)

In subsidium memoriæ, seorsim à Rege Legatis scripto traditæ sunt Responiones nonnullæ, ad illa, quæ Polonici Legati Postulatis Regis possent opponere, quarum hic est tenor.

I. Si pecuniam, quam à nobis mutuatus est Sigismundus Augustus Rex, inficiari volent Legati Polonici, adferentes, ejus solutionem pertinere ad eundem Regem, non ad Regnum, quandoquidem Ordinibus Regni inficiis, antequam Lithuaniam suam Regni Polonici corpori, ceu membrum individuum, inseruit, à nobis accepta sit. Reponent nostri Legati: Nullum Regem Poloniæ tam adstrictâ fuisse,

potestate, ut non licuerit ipsi, sine scitu Ordinum Poloniae, aliquam.
 pecuniae summam, urgente necessitate, in utilitatem Regni mutuare.
 Addent. In comitiis Thorunienfibus anni M. D. LXXVI. per duos
 Episcopos, duos Palatinos, totidemque Castellanos & Secretarios,
 cum Legato Svetico plenè eà de re transactum, atque sufficienter tum
 illis probatum fuisse, ejus pecuniae solutionem, secundum formulam
 contractus, ad Regnum Poloniae, & magnum Ducatum Lithuaniae
 pertinere, siquidem ea consociis illis Consiliariis, qui eo tempore
 praesentes erant, utpote Vilnensi & Lucensi Episcopis, Vilnensi &
 Trocensi Palatinis, nec non Petro Mischowfchi Pro-Cancellario, &
 Ziarnikowski Referendario, à nobis accepta sit, atque pro utilitate
 Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lithuaniae in bellum contra Mo-
 schum expensa fuerit. Arcesque, in majorem fidem recipiendae
 pecuniae, non clam nullisque consociis, sed publicè & apertè à dicto
 Rege nobis oppignoratas, atque ab ejus Commissariis nobis in ma-
 nus esse traditas, tam certum est, ut nemo negare possit, nisi insigni-
 ter impudens. Si verò arces nobis oppignoratas, captivitatis nostrae
 tempore ab ipsis receptas, eo praetexto fine, ut nobis à captivitate li-
 beratis restituerentur, in hostis Moschi potestatem postea venisse di-
 xerint: Respondebunt Legati nostri, evidentissimis literis Regis Si-
 gismundi Augusti, cum Martino Hersfeld Secretario nostro anno M.
 D. LXXIX. ad nos missis demonstrari posse, Joanni Cotkewitzio Li-
 voniae tum Administratori injunctum fuisse, ut eas nobis arces resti-
 tueret, quod ille per integros tres annos, facere distulit, post id tem-
 pus incidentibus illis in Moschi potestatem.

II. Quod bona soli à Regina Bonâ propria pecuniâ empta ad-
 tinet, si Legati Polonici dicent: Vigore Constitutionum Ludovici &
 Jagellonis Regum, nemini extero bona in Regno Poloniae possidere
 licere, ideoque liberos nostros ad eorum bonorum hereditatem mi-
 nimè posse admitti; respondebunt Legati nostri: Dictam Reginam
 Bonam, cum Consensu Ordinum Regni Poloniae Magnique Ducatus
 Lithuaniae ea bona emisse, obtinuisseque, ut ejus filiae & haeredes, in
 regno, & extra regnum, eam hereditatem omninò adipiscerentur,
 non ut possiderent, sed ut pretium ipsorum possent recipere, idque li-
 quidum esse ex Constitutionibus Regis Sigismundi, Corpore Privile-
 giorum folio XII. atque ex Testamento Regis Sigismundi Augusti, ubi di-

disertim constituit, tantam pecuniam pro iis bonis Sororibus Sigis-³³
mundi Augusti rependi debere à Polonis & Lithuanis, quanti ea em-³³
pta essent. Si verò ad ea regefferint Legati Polonici; Hæreditatum³³
eam esse conditionem, ut hæreditatem adeuntibus onerum gravami-³³
na sint subeunda: Respondebunt iis Legati nostri, Nos onera susti-³³
nuisse, cum nullos fructus ex iis bonis unquam perceperimus, & qui-³³
dem ita sustinuisse, ut nemo in Poloniâ & Lithuanâ magis. Nostrâ³³
enim operâ, nostris viribus, DEO optimo Maximoque adjuvante, ³³
ita Moschi communis hostis vires fractas & debilitatas esse, ut Regno³³
Poloniæ, & Magno Ducatui Lithuanæ quam minimum, & interregni³³
tempore, & postea etiam, nocere potuerit.³³

III. In Testamenti Regis Sigismundi Augusti executione tan-³³
toperè ipsis commendatâ, thesauroque Tikuzinensi, quam malam gra-³³
tiam, & dicto Regi, & familiæ Jagelloniæ, optimè de Regno Poloniæ,³³
& Magno Ducatu Lithuanæ meritæ, referant, quamque contra o-³³
mnium gentium laudabilem & inveteratum morem, injustè iniqueque³³
cum liberis nostris usque in præsentem diem egerint, id quidem ipso-³³
rum Legatis expendendum nostri Commissarii relinquent: ut cum³³
alienissimis hominibus ea quietè habere possidereque permiserint, ³³
quæ ipsis à Rege Sigismundo Augusto donata vel legata sunt, legiti-³³
mos tamen verosque hæredes ignominiose injustissimeque ab ade-³³
undâ maternâ fraternaque hæreditate testamentoque percipiendo³³
huc usque prohibuerint. Nam quod antea attulerunt, thesaurum³³
illum publicum totius Regni esse debere, quod publicâ pecuniâ com-³³
paratus sit, id verò tam frivolum est, ut refutatione prorsus nullâ³³
indigeat. Apud quas enim gentes quosve populos unquam audi-³³
tum est, quæ quis legitimâ hæreditate affectus est, ea ipsius non esse?³³
Atque Magnum Ducatum Lithuanæ hæreditarium Regi Sigismundo³³
Augusto fuisse si negaverint Poloni, impudentiæ meritò argui pos-³³
sunt. Quo enim pacto eum Poloniæ donare, & corpori Reipublicæ³³
inferere potuit Rex, si ipsius re ipsa non erat? At verò quamdiu is³³
vixit, magni Ducatus Lithuanæ adtributarumque ei provinciarum.³³
Dominum & hæredem se semper, Polonis nunquam contradicentibus³³
aut improbantibus, scripsit. Jam verò ut hoc ita non sit; tamen³³
ea quæ Regina Bona ex suo in Poloniam attulit, quæque ex redivibus³³
Ducatus Barriensis & Rosanensis emit, itemque ea quæ Johannes Si-³³

21 gismundus Hungariæ Rex Sigismundo Augusto Regi legavit, & Domi-
 22 nus Gastoldus aliiqve multi, propriè Regibus Poloniæ, & non Regno,
 23 donârunt, & testamento legârunt, quæ sanè summa maxima est, eâ
 24 publicâ pecuniâ empta esse non possunt. Quantoperè autem pro-
 25 testatus sit Rex Sigismundus Augustus, se sua propria bona, secun-
 26 dum jus commune, & consuetudinem Regni Poloniæ, cui velit do-
 27 nare vel legare, quamqve diligenter & seriò successores primum suos,
 28 deinde Senatores Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuanîæ, cohör-
 29 tatus sit, ut ultimam suam voluntatem, sine morâ, absqve furo aut
 30 colore quovis quæsito, candidè & fideliter exequerentur, id ex ipso
 31 testamento clarissimè & evidentissimè patet: Satisqve notum est, Se-
 32 renissimam Poloniæ Reginam, ex eodem illo thesauro Tikuzinensi
 33 magnam partem hodie possidere. Ad quod si replicaverint, Eam
 34 beneficio Ordinum totius Regni, earum rerum usum fructum ex eo
 35 thesauro habere, quæ usu non consumuntur, vicissimqve eam, cum
 36 eligeretur, renunciassè juri suo in rebus mobilibus & immobilibus
 37 Tikuzini existentibus: Respondebunt illis Legati nostri, hoc eorum
 38 argumentum eodem fundamento (frivolo scilicet) niti quo prius.
 39 Neqve enim tam quæri debere, sub quo titulo eam suæ hæreditatis
 40 partem possidere existiment Poloni, quam quo pacto, justissimo vide-
 41 licet hæreditatis titulo eam acquisiverit. Nam quod ad renuncia-
 42 tionem attinet, ut omittamus, jure ne eam facere potuerit, an non?
 43 Scimus tamen eam inductam partim vi, partim blanditiis quorun-
 44 dam Procerum, certis conditionibus id fecisse, quæ cum à Polonis
 45 non essent observatæ, ipsâ, consentiente Rege marito, in Comitibus
 46 Thorunensibus Anni M. D. LXXXVI. publico instrumento protestata
 47 est, se eâ resignatione non teneri: idqve hodiernus Poloniæ Rex
 48 in Acta Cancellariæ Comitialia inferendum & inscribendum man-
 49 davit. Eundem quoqve vigorem, nullum scilicet, habet, quod de
 50 renunciatione dilectissimæ quondam Conjugis nostræ ante adferre
 51 soliti sunt, ut eâ ratione Ejus Serenitatem ab adeunda maternâ fra-
 52 ternaqve hæreditate repellerent, cum in eâ renunciatione ipsa
 53 clarissimis & apertissimis verbis sibi retinuerit ac reservaverit.

22 Jus propinquitatis & devolutionis, si forte Regem
 23 fratrem sine liberis decedere contingeret. Quæ verba

quid erat necesse inferere, si nullum postmodum valorem nullamque²² vim erant habitura? Quam autem absurdum sit dicere, Reges Po-²³loniæ nihil proprium unquam possedisse, neque de rebus propriis²⁴ disponere posse, atque ab aliis donata vel legata, non ad ipsos, sed²⁵ ad Regnum pertinere, Venetorum Ducum more, id ipsis consideran-²⁶dum relinquent Legati nostri: cum ex ipsorum propriis Chronicis²⁷ evidentissimè probari possit ac demonstrari, Reges Poloniæ aliqui-²⁸bus integros Ducatus donasse, atque vicissim à multis, bona mobilia²⁹ & immobilia maximi pretii ipsis donata & Legata esse, de quibus illi³⁰ pro lubitu morientes constituere.

IV. Si mentionem de suo jure in Livoniam fecerint Legati³¹ Polonici: respondebunt illis Legati nostri, se mirari, quo pacto, qui-³²busve rationibus in eam provinciam sibi jus esse prætendant Poloni,³³ cujus directum Dominium nunquam habuerunt, quæque tota & in-³⁴tegra neque huic Regi, neque ejus antecessoribus unquam paruit.³⁵ Atque si allegaverint cessionem sibi factam à Magistro Ordinis Livo-³⁶nici, nunc Duce Curlandiæ, reponent illis Legati nostri: Non licere³⁷ Vassallo, sine consensu Domini superioris, Feudum quocumque modo³⁸ abalienare. Romani autem Imperii consensum cum non habuerit.³⁹ Ordinis tunc temporis Magister, imò, nec eorum omnium quorum⁴⁰ intererat, ipsique subditorum: nosque in contrarium literis planum⁴¹ facere possumus, à CAROLO V. IMPERATORE Ordini Livonico⁴² speciatim mandatum esse, ut à Serenissimo quondam Rege GUSTA-⁴³VO Domino Patre nostro carissimo inclutæ & laudabilis memoriæ,⁴⁴ auxilium peterent: simulque literas habeamus à FERDINANDO⁴⁵ IMPERATORE, etiam ad dictum Serenissimum Patrem nostrum,⁴⁶ atque etiam ad fratrem nostrum ERICUM quondam Regem, item-⁴⁷que MAXIMILIANI IMPERATORIS ad Nos, in quibus Livoniam,⁴⁸ ut ab Imperio Romano nimis distantem provinciam, Iphis Nobisque⁴⁹ diligentissimè commendant, orantque, ne eam à Moscho diripiatque⁵⁰ opprimi patiamur. Poloni verò nihil contra hæc pro se asserre⁵¹ possint, quod re verâ aliquam veri juris speciem habeat: demonstra-⁵²bunt illis Legati nostri, neque potuisse, neque licuisse Magistro Ordi-⁵³nis, quod suum non erat, in alios conferre, ipsosque Polonos injustè⁵⁴ & contra omne fas agere, qui non solum ejus provinciæ jus sibi ar-⁵⁵rogent, quod non habeant, sed etiam obliti tot beneficiorum no-⁵⁶stro-

"strorum, publico consensu, Regis sui nomine, binas legationes ad
 "nos miserint, ea, cum diminutione existimationis, tituli, & Majestatis
 "nostræ, petitur, quæ neque ipsi, neque majores eorum unquam
 "possederunt. In qua quidem postulatione, quam impudentibus &
 "absurdis argumentis usus sit Warsevicus Legatus, dum se bellè admo-
 "dum perorare putat, vel ex eo patet: Quod cum hostem Moschum
 "cessisse suo Regi quicquid in Livoniâ possidebat, affirmet, existimet
 "id multò magis à Nobis, ut ab amico & ad fine fieri debere. Egre-
 "giam verò amicitiam, quæ ab hostilitate nullâ in re differt, quasi ve-
 "rò eandem poenam Viri boni & innocentes subire debeant, quâ ma-
 "lesici homines plexi sunt. Debere Polonos potius cogitare, nisi nos
 "Livoniæ protectionem maturè suscepissemus, de eâ litigaturos nobis-
 "cum jam non fuisse. Imò, tota illa provincia à Moscho occupata,
 "de Lithuaniâ etiam periclitaturos fuisse.

"V. Quod ad titulum hæreditatis in Magnum Ducatum Li-
 "thuaniam adinet, quem Serenissimus Princeps Sigismundus, Regno-
 "rum & Principatuum nostrorum proximus hæres & futurus Rex, fi-
 "lius noster carissimus justissimè gerit, demonstrabunt Polonis Lega-
 "ti nostri, non esse quod id meritò ægrè ferant. Cum non licuerit
 "Serenissimo Regi Sigismundo Augusto illum Ducatum, qui à tot an-
 "norum Centuriis Jagellonicæ familiæ hæreditarius erat, exclusis, &
 "non adsentientibus propriis sororibus nepotibusque, Regni Poloni-
 "ci corpori adjicere. Nam quod proximis ad carissimum filium,
 "nostrum literis, ejus Ducatus hæreditariam successionem eludere,
 "conati sint Poloni, adferentes Magnos Duces Lithuaniam, magis vo-
 "luntate populorum, quam jure hæditario iis gentibus imperâsse:
 "id non absurdum solum, sed etiam ridiculum est, cum ex propriis
 "eorum Chronicis evidentissimè demonstrari possit, post Gediminum,
 "qui primus ex eâ familiâ Lithuaniam occupavit, nunquam apud eos
 "dubitatum esse, quin legitimè, & sine ullâ tergiversatione & obje-
 "ctione ei successerint, primum filii, deinde eorum hæredes nepotes-
 "que, usque ad proximè defunctum Regem Sigismundum Augustum,
 "Eam autem coadunationem cum Poloniæ regno, quam præten-
 "dunt, non omnium civium consensu & voluntate, sed quorundam
 "malignitate & invidia factam esse, vel id satis argumento est, quod in
 "sæpè nominatis Comitibus Thoruniensibus, Ordines Magni Ducatus
 Lithua-

Lithuaniz postularunt, sibi à Regno Poloniz restitui Kholmiam, Wo-²liniam & Podolachiam. Quid autem attinuit id postulare, totamque rem eà ratione in controversiam & dubium denuò deducere, si ea-³ conjunctio, quam ipsi incorporationem vocant, tam firma, Regnum-⁴que Poloniz cum Magno Ducatu Lithuaniz unum & idem perpetuo esse debuit? Atque si eam coadunationem tantoperè probant & ur-⁵gent, ratum etiam habeant atque exsequantur ejusdem Regis Sigis-⁶mundi Augusti Testamentum: quandoquidem certissimum est, di-⁷ctum Regem Sigismundum Augustum, ob eam maximè causam ad⁸ conjunctionem Magni Ducatus Lithuaniz cum Regno Poloniz con-⁹sensisse, ut vicissim Poloni & Lithuani ejus testamentum eò diligen-¹⁰tius & fidelius exsequerentur. Actum Stockholmiz A. M. D. LXXXV.¹¹ XVIII. Julii.¹²

JOHANNES R. S.

(L. S.)

His de rebus acturi convenère partis utriusque Legati. Datis à Rege mandatis constanter insistere nostri, religioni sibi ducentes, vel latum inde unguem digredi. Poloni, se in partes omnes versantes, alia atque alia æquis nostrorum postulationibus obvertère, quorum pleraque in eam sententiam abiverunt, quam jam ante animo sagaciter præceperat, firmisque in contrarium rationibus diluerat Rex inclutus. Tandem, post ductum aliquantisper contentionum funem, rem referentibus Polonis ad Comitia, negotio infecto discesserunt, majore utrinque irâ quam venerant, ut fieri solet post jurgia. A verborum ad armorum dimicationem venisset res haud dubiè, ni annus sequens Stephanum Regem exemisset turbis mortalium, atque anno inde proximo, in locum decedentis, Sigismundum hæreditarium Sveciæ Principem, reposuissent potiora Polonicorum Procerum suffragia, dejecto per arma æmulo Maximiliano Austriaco, Rudolphi Cæsaris fratre, qui victus captusque, regni captati abdicatione libertatem redemit, conciliatore pacis Aldobrandino Cardinale Legato Pontificis. Sigismundum Svecum repudiato Maximiliano Austro prætulit Polonia, vel eo potissimum nomine, ut à debitis his reposcendis Sveonum Reges in posterum desisterent. Ut universam Livoniam Narvamque Ingriz Polonico Regno cederent in perpetuum, importunissimè simul flagitarunt Poloni, ad sensereque ultra acceptam à Rege mandati formulam,

mulam, de electione Sigismundi eò missi Legati Svedici, persvasi consiliis viduæ Reginæ Poloniæ Sigismundi Sveci materteræ: Sed ea res postmodum, præter causas alias, ipsos conjecit in odium sui Principis, quem à tali promisso abhorrentem, offenderunt sic vehementer, ut moti dignitatibus, in periculum vitæ semet ipsos perduxerint. Sed illa, utpote post mortem Ponti agitata, aliis dicenda linquimus, cum nobis propositum sit, contextum rerum ob Livoniam usque ad obitum ejus persequi. Id tamen his, quæ de postulatis Sveonum diximus, non possumus non addere. Scilicet, adsurdè negare Pfafecium, sacrâ dignitate historiaque aliàs non indiligenter scriptâ virum venerabilem, qui repetitam à Johanne Rege pecuniam, donationis specie, Sigismundo Augusto, nuptias sororis ei conciliaturo, obtrussisse comminiscitur, ipsoque defuncto, apud ignaros rei, traxisse in debitum, cujus argutiæ, utpote ab ipso primum fictæ, ne verbo meminit Heidensteinus, qui Stephano Regi à Secretis, anno, ante mortem Ponti proximo, Historici operis volumine ultimo, ne Stephanum ipsum negasse debita isthæc perhibet; cum de Secretioribus datis Dominico Alamanni mandatis ad Regem Johannem sic loquitur: *Secretò mandatum ei fuit, ut cum hereditatis Sigismundi Augusti, pecuniarum ei creditarum, dotis ab eodem promissæ, nec dum numeratæ, aliarumque rerum quarundam petitionem Svecus relaturus existimaretur, aliam earum rerum petendarum rationem esse, certumque de iis jus, ac morem judiciorum antiquissimâ regni consuetudine receptum, aliam injuriarum, quibus ab illo (Rege Johanne) Rex (Stephanus) affectus esset: quæque cum iis rebus nihil commune haberent. Si tamen ita animatum videret, ut de Revaliâ quoque ac omni jure Livonico simul decidere paratus esset, dotis, & mutui, quod peteret, solutionem sine ullâ exceptione ei promitteret: reliquarum controversiarum disceptationem communibus arbitris Regem permissurum.* Nec parum firmat justitiam petitiæ dotis è Poloniâ illud, quod idem autor alio habet loco. *Collocata in matrimonium fuit Henrico Duci Brunsvicensi à Sigismundo Augusto Sophia soror ejus, deque rebus dotalibus, in eventum non susceptorum liberorum restituendis more stipulatio interposita.* Ergò liberis susceptis promissâ dos debuit tradi. Sed de his satis.

Accedimus jam ad illud, quod Ponto ultimum fuit operum mortalium. Sine diremptarum litium successu solutâ congressione Svecico-

cicorum Polonicorumque Legatorum ad Pernoviam, mox injunctum. Ponto collegisque eisdem, ut ad ostium Plusæ amnis in Ingrîâ, de perpetuâ pace, aut in plures annos prorogandis induciis agerent cum eò missis Legatis gentis Russicæ. Mature & ad præstitutam diem Revaliâ Narvam venere nostri, per tres dierum hebdomadas expectantes adventum Legatorum Moschi. Tandem advenientibus illis, tantumdem extractum temporis disceptando de loco modoque congressuum. Nam, secus quam utrinque decretum in prioribus induciis, & locum mutari voluerunt Russi, definiri que arbitrato suo, non ad communem Svedicæ Russicæque ditionis limitem, sed in suarum regionum urbe, aliquâ, ipsis opportunâ, nostris incommodâ; & ex agresti gentis superbiâ, primas sibi stolidè arrogârunt sedes. His altercationibus finem dedit nostrorum constantia, dimotis tentoriis abitum negotio infecto minantium. Itaque mensis Octobris die ultimo, qui erat Dominicus, sub Dio fixa iterum tentoria, inspectante fere partis utriusque è vicinis castris exercitu. Nostri Nöteborgum, Ladogam, Augdoam, & quicquid soli esset cis amnem perluentem Novogardiam, pro temerè moti in nos belli impensis postulârunt, cessionemque perpetuam arcium ac terrarum, quas fortuna justis armis favens in nostrorum manus conjecerat. Illi, nisi redditis in Livoniâ & Russiâ captis locis, pacem fieri non posse, pertinaciter urfere, quæ Moschici Magni Ducis patrimonium appellaverunt. Altero post die congressi iterum, nostri impensas belli remittentes, in Livoniâ & Russiâ occupata omnia perpetuæ Sveonum possessioni addici poposcerunt. Illi, Revaliâ & totâ Vichiâ cæsis, cætera Magno Duci suo restituenda pertenderunt. His utrinque disceptatis, magno animorum motu diremptum colloquium, indicto justitio armorum in dies tantum quatuordecim, Moschis sic efflagitantibus, ut interea nostri Revaliam, illi Pleschoviam, tutò possent regredi. Nostri motis eodem die tentoriis castrisque Narvam petiere, perrecturi mox Revaliam, belloque continuando necessaria apparaturi. Id videntes Russi, postero statim die, misso eximie inter ipsos autoritatis Bajoro, Narvâ nostros amicè in castra revocant, polliciti, allaturos se ea, quæ sui Principis nomine, ultimo possent loco permittere. An essent adensuri, ambigebant initio nostri, ob brevem nimis armorum quietem, & res non satis adversus casuum fortuita in Livoniâ ordinatas. Annuebant tamen, ne quam in ipsos

causam fundendi porrò miserorum sanguinis conjicerent. Die quinquagesimo. *d. 5. Novemb.* tâ Novembris reversi ad dictum jam ante locum nostri, quod revocandi ipsos consilium Russi cepissent, sciscitantur? Respondent, dolere se, sine sensu ullo fructus, evanuisse pium procurandæ pacis negotium. Offerre nunc ipsis, quoniam pacis cupidum suum Principem sciant, ultra id quod prius obtulerunt, in fidâ diuturnæquæ pacis pignus, universam Livoniam, Narvam quoque, & quæ cis amnem ejus juris fuissent Russici. Jus etiam emporii, exercendique Narvæ commercii, unde manans vestigal cum portorio, multò amplioris esset annui redditus, quam fructus captorum locorum in Novogardiensis Principatus agro, quæ reddi dominio sui Principis omninò voluerunt. Adjiciebant tandem, æquum nostris ac Russis commercandi jus, non per universam tantum Moschoviam, sed per Casanensis Astracanensisque etiam Regni terras amplissimas. Videri poterat hæc conditio tolerabilis; sed quoniam accepti mandati limites transilire nostris nefas, rejecta est. Monuere tamen, si quid ablatorum, Principi ipsorum esset in animo recuperare, missis Legatis à Rege ipso peteret, cujus injussu, ne latum unguem illi usquam possent concedere. Videntes nihil impetrari posse à nostris hac ratione, tandem rogârunt, ut de his conditionibus ad Regem nostri perscriberent, atque intra mensem, quid fieri omninò Rex vellet, exquirerent. Sed cum nostri ostenderent, tantillo tempore, eaque anni tempestate, per tot maria terrasque, nuncium cum literis ire redireque neutiquam posse, pleni irarum, planè renunciârunt triennalibus induciis, ut quæ cum priori ipsorum Principe Johanne Basilde exspirâssent. Cum nostri regerent, literis hodierni ipsorum Principis Theodori easdem roboratas mox parente mortuo, reposuerunt, non nisi in diem indicti hujus conventus firmatas debere intelligi. Cum res eò vergerent, repetierunt nostri prius ab ipsis porrectum consilium, scribendi eâ de re ad Regem, exquirendique ejus sententiam, ut sic per hyemem esset nostris militem melius colligendi armandique spatium. Conducere etiam, eò, perhibuerunt nostri, unius aut paucorum adhuc annorum inducias. Sed illi, omnem aliam, quam quæ ultimò ipsis arrisit, sistendi arma viam, respuerunt. Sic iterum abruptum colloquium, & sicut prius, facta in quindecim dies induciæ. Die eadem nostri Narvam secontulere, tertiâ post die inde petituri Revaliam. Sed ipso discessu die,

die, conscenso vetusto navigio, cum secundo amne Narvam appulsuri essent, dimidio supra urbem milliari, explosis aliquot receptis in navem campestribus machinis, ad testandam ex felici, ut augurabantur, reditu lætitiã, ad alterum navis latus, asseris unius pars, tres spithamas longa, unam lata, concussa fragore navi, exsiliens, quoniam superingestis sarcinis animadverti statim non potuit, opplevit navim aquis, quibus inter sarcinas emergentibus, panicus vectorum vulgus incessit pavor, qui ad unum latus se conjicientes metu, navem everterunt, non adeo procul à ripã, in quã stabant Legatos exceptura carpenta. Pauci natando evasere periculum. Plerique enim ejus rei periti, apprehensi ab ignaris, trahebantur ad fundum. Alios rapidi atque fluminis gurgites hausere. Qui tabulis arreptis fluitabant, tandem alio adpellente navigio, semianimes excepti, exemptique præfenti discrimini. Pontus, corpore, ob longam invaliditudinem, cæteris debilior, haustus gurgite, altero tandem die, paulo ante meridiem, repertus est. More nostrorum, calenti mox in urbe fatus balneo, non revixit, spiritum DEO reddens in aquis, quem ipse in acie, pro more stans vincensque, reddidisset libentius. Sed DEO visum aliter, cujus judicia, ut impervestigata plerumque nobis, sic æqua semper habenda mortalibus. Impendit sanè halitum supremum alteri huic patriæ, quam fors obtulit, judicioque suo sibi elegit. Simul cum ipso idem casus meruit Livonici sanguinis nobiles sex, plebejos duodecim, tantò beatiore quemque excessu, quantò sanctius ei cum Christianã pietate commercium, quantoque minus à receptã, seculi pravitate, doctrinæ ac morum corruptelã contagium. Existiment alii, indigno magnitudine rerum ab eo gestarum exitu, vitam hanc clausisse virum fortissimum, Imperatoremque tot exercituum Pontum: nos arbitramur, inter tot hinc discedendi modos, quibus nos obnoxios fecit, misera primorum parentum in gravem reatum prolapsa temeritas, propriis cumulata excedere debentium prævaricationibus, parum interesse, quo nos educi hinc velit Numinis æquitas, si tantum evadere detur in beatas sedes ab omni inquinamenti sorde mentium purgatarum in limpidissimo rivo sanguinis, manante è latere ejus, unde manat salus servandorum singulorum ac omnium. Videri poterat summi viri vita suorum bonorumque votis brevior; cum ætate adhuc vegeta extinctus sit: sed ipsi sibi que vixit satis. Naturæ quidem, ut quæ

vita^m usuram nobis, sicut pecunia^e, tribuit, nullâ præfinitâ die, & mundum hunc esse voluit, breve commorandi diverforium, non perpetuum habitandi domicilium. Regi etiam ac patriæ satis, cujus fidei & navitati, & ille acquievit benignissimè, & hæc aucta munitaque longe quam antea melius, non potuit non sibi gaudere, & cineribus optimè de se meriti civis, mollem quietem adprecari. Nec minus sibi ipsi satis, per summas pace belloque artes ad id eventus culmen gloria^e, in quod eniti paucis contigit. Solis tribus liberis, quos postremis quinque vitæ annis sibi genuit, præmortuâ hoc eodem anno matre, quâ cum vixit conjunctissimè, videri poterat vita parentis justo brevior, ut quem eâ ætate amifere, quâ jacturæ magnitudinem animo non poterant capere. Sed clemens avi materni in orphanos pietas, insignisque bonitas Johannis de la Blanque de Rasick Tribuni, quem è proximis agnatis tutorem Rex ipsis dedit, fecere, ut orbitas tenellis fraudi non fuerit. Corpus defuncti, curantibus obeundæ Legationis sociis, ad villam ejus Kolcka in Viriâ Livonia^e perlatum est, atque Revaliæ terræ traditum, erecto post quadriennium in memoriam ejus marmoreo monumento, procurante liberorum tutore Blancqvio, Arnoldo Passer statuario.

Tumu-

Quam hæc dissimilia sint illis, quæ Maimburgus de interitu Ponti fabulatus est, quilibet facile videt. Et quoniam ea, quæ Jolivetus Parlamenti in Gallis Advocatus in sua Historia Sveca manuscripta memoriæ prodidit, cum his ad amussim quadrant, placuit ea hic adponere. *Les Ambassadeurs &c. voulans repasser en la Ville de Narva le 5. de Novemb. 1583, ils prirent une petite barque construite à la facon des Russes & Moscovites, ou ils entrèrent maitres & valets & plusieurs autres de leur Suite & train, tellement qu'etans justement au milieu de la riviere de Plusa, qui etoit alors fort grosse, on s'avisâ de faire tirer deux petites pieces de campagne, qui etoient dans ce petit vaisseau, les quels tirerent avec tant de bruit & mouvement ou d'effort, que le vaisseau vieux & usé se cassa à l'instant au bruit de ce tonnerre & dix huit hommes s'y perdirent; entre les quelles se rencontra du grand malheur pour le royaume de Suede le tres valliant Heros Pontus de la Gardie, genereux & invincible General des armées Svedoises, qui fut noyé dans la riviere.* Quæ cum ab homine gallo, & qui Sveciam nunquam vel è limine salutavit, scripta sint, adparet facile historiam interitus Ponti satis notam esse, Maimburgum vero illam non nisi pro lubitu depravasse. Utut vero eum decipere aliorum relationes, vel propria ipsius figmenta potuissent, si tabulas modo geographicas in consilium adhibuissent, vidisset nullo amne à Russiæ finibus Revaliam versus delabente, Pontum naviculâ magnâ partem Balthici maris, quo à Moscoviæ finibus Revaliam itur, nunquam subisse. Didicisset quoque Revaliam non Livonia^e, sed Esthonia^e caput esse: & quoniam illa (Livoniam intelligo) in Svecorum potestatem eâ tempestate nondum pervenerat,

Tumulo inscribi sequens carmen voluit Poëta non inelegans:

Pontus eram terris dum vixi, & fortis in armis,

Is sed me necuit, qui quoque Pontus erat.

In Ponto Pontus sum suffocatus & undis.

Scis tu quid profit sic potuisse mori?

Me cœlum duplici recipit ratione per undam,

Dum sum denatus, dumque renatus eâ.

Credite mortales, in corde animisque Sveorum

Donec erit Pontus, hic quoque Pontus erit.

Cui nos alterum hoc, venæ, non pietatis, deterioris, adjecimus:

Ille togaque sagoque Ingens Delagardius Heros,

More Periclæo, verborum fulmine Falsi

Vertere vim gnarus, fallentem imitamine Veri;

Oppositas acies, arcesque adamante revinctas,

Ceu luteas, pariter convellere fulmine dextræ

Doctus, seu Regum cellas inviseret arces

Principis Orator Sveci, seu Martis alumnus

Sarmaticas notâ truces feritate phalanges

Sterneret auspicio Sveci, magnis celer ausis,

Exiguâ, quam dat Revalia, clauditur urnâ.

Mens adscripta polo. Nomen sibi vindicat orbis.

Corpus & ossa virens niveo sub marmore cespes.

Gallia natalem, dedit almos Gotthia honores.

Æternam Virtus famam. Livonia bustum.

Quem vidimus, vitæ per virtutem actæ exitum habuit Pontus, illustri genere in Galliâ, bellis in Italiâ, Scotiâ, Daniâ & Moschoviâ gestis, commendationis famæ perpetuis celebrandus præconiis. Quoties ore ejus locuta sit Svecia, testantur legationes, quas hactenus commemora-

rat, sed Polonico regno subjecta Gustavi Adolphi victoriis servabatur; Pontus neque illam gubernare, neque in ejus metropoli ex legatione redux, tanquam apud suos extingvi potuit. Ad hæc si animum advertisset Maimburgus, minus aliorum fabulis vel suis propriis inventis fidens, historici munus melius fuisset executurus; quod si aliàs, tum sane maxime tradendas posteris res diligenter pensitare jubet, cum eadem extra naturæ ordinem progredi & portentosi aliquid continere videantur. Quod vel ipse aliàs se facere solere magnificè gloriatur; sed sane tanto majori cum dedecore, quanto turpius est culpam ipsum redarguere, qui aliis eam objectare solet.

moravimus. Virtutem ejus militarem nulla dignè expresse-
 rit oratio: illam scilicet in consiliis capiendis perspicaciam, in negotiis sus-
 cipiendis sollertiam, in periculis capessendis confidentiam, sustinen-
 dis constantiam, in rebus moliendis conficiendisqve velocitatem cum
 felicitate successuum. Quæ omnia in Livoniâ & Ingridiâ loquuntur ur-
 bes, castella, munimenta, quæ Regnum Sveciæ etiamnum vel ornant
 vel firmant, ductu ejus partim acquisita, partim conservata: eruntqve
 monumenta genti Delagardianæ, in quæ nec invidia, nec oblivio, quic-
 quam sibi juris adferet. Apud exteros quanto in honore fuerit, tes-
 tificantur Rudolphi Cæsaris, Matris ejus Mariæ, Caroli IX. Henriciqve IV.
 Regum Galliæ, nec non Friderici Dani, in Regio Archivo atqve penes
 Ponti posteros etiamnum superstites literæ: ut nihil dicamus de vi-
 rorum amplitudine munerum, aut claritudine literarum, illustrium,
 Radzivillii, Zamoisichii, Segurii, Danzæi, Chytræi, Frederi, aliorumqve
 magno numero, epistolis, quæ de rebus gravissimis etiamnum exstant,
 apud Illustrissimos Ponti posteros. Dignus igitur veniâ mœror Johan-
 nis Regis, qui Stockholmia, in publicis Regni Comitibus, coram Ordini-
 bus Regni, commemoratis insigni cum laude Ponti meritis, conque-
 stus est, utilem sibi Regnoqve civem, alienissimo tempore subductum,
 Reipublicæ. Inter sui Ordinis homines, hoc est, Regios Senatores,
 quantâ floruerit autoritate, ostendunt complurium ad ipsum scriptarum
 etiam nunc superstites literæ, quibus amâsse coluisseqve virum Sum-
 mum licet cernere. Sanè, quod paucis, præsertim alienigenis, obi-
 git, eminuit inter suos, citra invidiam & obtrectationem: & quem ip-
 si ei præstiterunt amorem summum, eorundem filii nepotesqve, ad
 Illustrissimos Ponti posteros transmisere; quod vel ex adposito ad fi-
 nem liquet Genealogico diagrammate, quo docemur, nullam prope
 illustriorem esse familiam gentis Svecicæ, quæ cum Delagardianâ san-
 guinem non junxerit. Finiemus dicto Liviano, in rem nostram
 inflexo paululum. Dum nullum fastidiretur genus, in quo
 eniteret Virtus, crevit Svecanum Imperium.

SOLI DEO GLORIA.